DE

ELOHISTAE PENTATEUCHICI

PRIORIS, QUI VOCATUR,

ETHICA.

DISSERTATIO THEOLOGICA,

QUAM

ORDINIS THEOLOGORUM SUMME REVERENDI AUCTORITATE

IN ACADEMIA FRIDERICO-ALEXANDRINA ERLANGENSI

AD HONORES LICENTIATI THEOLOGIAE RITE CAPESSENDOS

DIE XXV. MENSIS JULII MDCCCXCVI, HORA X,

IN AULA

PUBLICE DEFENDET

JUSTUS KÖBERLE,

CAND. THEOL.

MDCCCXCVI.

TYPIS FRIDERICI JUNGE TYPOGRAPHI AULAE REGIAE BAVARICAE
ET UNIVERSITATIS ERLANGENSIS.

Cap. I.

Prooemium.

De Veteris Testamenti ethica rarius quam gravitati rei convenire videtur, libris disputatum est. Nam etsi in omnibus operibus de ethica Christiana scriptis Veteris Testamenti loci non pauci proferuntur, quidque differat inter Veteris et Novi Testamenti ethicam investigatur[1]), porro quamquam in eis libris, quibus de Veteris Testamenti theologia sive de antiquitatibus populi Israel agitur, multa inveniuntur ad easdem quaestiones pertinentia, nec desunt, qui de Veteris Testamenti ethica universa disseruerint[2]), tamen

1) cf. Wuttke, Handbuch der christl. Sittenlehre² I, p. 117 bis 130 passim; II, p. 193 ss. ps.; v. Hofmann, Theologische Ethik (Nördlingen 1878), p. 193 s., (54 s, 110 ss.), 250 ss., 287 ss., 334, 338. Fr. H. R. v. Frank, System der christl. Sittlichkeit (Erl. 1887), II, p. 252 s., (234 ss., 288, 378 s., etc.); Martensen, Die christliche Ethik (2. Aufl., Gotha 1873), I. Allgemeiner Teil, § 124, p. 483 ss.; Kähler, Die Wissenschaft der chr. Lehre, III. Lehrkreis (1. Aufl.), p. 476, § 2, 3; Luthardt, Kompendium der theologischen Ethik (Leipz. 1896), p. 108 ss passim.

2) a) H. J. Bestmann, Geschichte der christl. Sitte, I. Teil: Die sittlichen Stadien; III. Buch (Nördl. 1880, p. 231 ss.). (G. Uhlhorn, Die chr. Liebesthätigkeit in der alten Kirche, 2. Aufl. (Stuttg. 1882). I. Buch, 2. Kap., p 40—50.) C. E. Luthardt, Geschichte der christl. Ethik, I (Leipz. 1888), p 26–62; W. S. Bruce, M. A., The ethics of the Old Testament (Edinburgh 1895).

b) Ex libris de theologia V. T. scriptis imprimis recentiores quidam, quibus uberius de ethica V. T. agitur, hoc loco enumerentur, velut Dillmann, Handbuch der Altt. Theol. (Leipz. 1895); Schultz, Altt. Theologie⁵, Gött. 1896; R. Smend, Lehrb. der altt. Religionsgeschichte. Freib. i./B. u. Leipz. 1893; G. Fr. Oehler, Theol. des AT.² (Stuttgart 1882; 3. Aufl. 1891). Praeterea multa ad rem nobis propositam pertinentia inveniuntur in operibus Ewaldii, Die Lehre der Bibel von Gott, Bd. I—IV (Leipz. 1871–76); A. Kuenenii, De godsdienst van Israël I, II (Haarlem 1869/70);

desiderantur adhuc de singulis partibus disputationes, quibus nisi quasi fundamentis potuerimus inniti, neque originem ac commutationes ethices Veteris Testamenti, neque propriam eiusdem naturam perspiciemus.

Eiusmodi disputationem iam suscipiemus de ethica Elohistae Pentateuchici prioris, qui vocatur, acturi.

Probata ponimus haec:

I. Primum: liber Pentateuchicus ex compluribus fontibus compositus est, (de qua re fere omnes hodie consentiunt).

Deinde ponimus librum Elohisticum, (A, Q, PC, „erster Elohist“, „Grundschrift“, „Buch der Ursprünge“, „Vierbundesbuch“, „Priesterkodex“ etc., vel quocunque modo hunc librum significare placuerit singulis —), tanta certitudine et perspicuitate a ceteris fontibus distingui et secerni posse, quanta ad rem a nobis tractandam opus est. Et apparet, inde ex quo Th. Nöldeke scripsit: „Untersuchungen zur Kritik des Alten Testaments, 1) die s. g. Grundschrift des Pentateuchs“ (Kiel 1869), non iam valde dissentire singulos, quaenam capita huic libro tribuenda sint[1]), quamquam non omnes singulae particulae minores vel minimae perfecte distingui possunt. Eiusmodi sententiae nonnullis locis controversae infra data occasione respiciendae sunt, ad rem autem nobis propositam non magni momenti sunt.

Siglo utemur littera P, qua aut „liber Elohisticus“ aut „Elohista“ significabitur.

In librum Elohisticum „lex sanctitatis“, quae vocatur, (inde a Klostermann, Luth. Zeitschr. 1877 p. 416, [sigl. H], (Lev 17—26), recepta est, cuius et aliae quaedam leges fuisse videntur, cf. Wurster, „Zur Charakteristik und Geschichte des Priesterkodex und Heiligkeitsgesetzes in ZATW.

J. Chr. K. v. Hofmannii, Weissagung und Erfüllung (Nördl. 1841/44); Schriftbeweis [2], aliis infra passim enumerandis (Hitzig, Hävernick, Kayser-Marti, Schlottmann-Kühn, Riehm-Pahnke etc. etc.).

c) Eodem modo et libri, quibus de antiquitatibus populi Israel agitur (Ewald, Keil, Nowack, Benzinger [Bähr]), necnon quibus historia populi Israel describitur (Köhler, Wellhausen, Stade, Klostermann alii, qui ad rem spectare videbantur [Reuss, Baudissin, König, W. R. Smith, Bredenkamp, Duhm, W. Lotz, F. E. Kübel]), infra diligentius enumerabuntur.

1) Idem ponitur et ab aliis non paucis de libro Elohistico disputantibus, v. g. cf. Wurster in ZATW. IV, p. 112 ss.; Wolf Wilhelm Graf Baudissin, Geschichte des altt. Priesterthums (Leipz. 1889), p. 2 ss.

1884, p. 125 ss, p. 132 s. Quamquam praecepta huius codicis ex parte eis, quae in Deuteronomio et libro foederis (Ex. 20—24), praescribuntur, magis congruere videntur quam ipsius Elohistae sententiae et rationi, tamen manifestum est, si res revera ita se haberet, non futurum fuisse, ut hic codex reciperetur a P. Accedit, quod non desunt in H praecepta, quae universae libri Elohistici sententiae optime conveniunt, cf. c. 21; 22; 24, et quod extremus omnium praeceptorum finis idem est, qua de re infra fusius disputabitur. Eadem igitur ratio habebitur legis sanctitatis ac ipsius libri Elohistici.

Non minus autem ad recte de libri Elohistici ethica iudicandum respicienda est historia Elohistica, qua, quamvis brevis sit, et fundamenta principiaque quaedam gravissima ponuntur et exempla locupletissima proponuntur.

Quando singula libri Elohistici praecepta orta vel scripta sint, ad rem non spectat, cum non nisi de libro Elohistico, qualis nobis traditus est, disputemus. Et animum attendas, quaeso, non disputaturos esse nos de moribus sive populi Israel in deserto constituti, sive Judaeorum ex captivitate Babylonica redeuntium, sed de ethica libri Elohistici. Apparet leges vario modo impleri potuisse, aut coeco poenae timore, aut Pharisaeorum more studio iustitiae vel meriti assequendi causa, aut pia fidei obtemperantia commotis. Non quomodo singulis saeculis a populo lex intellecta et servata sit, quod a plurimis tractatur, cf. instar omnium R. Smend, Altt. Religionsgesch., p. 301 ss.[1]), Lotz, Gesch. u. Offenb. im A. Test. [Leipz. 1891] p. 340 ss., sed quaenam ipsa in lege occurrant vel legibus subsint rationes ad mores (ethicam) pertinentes, investigabimus. Utrum hae rationes prius lege an prius a prophetis propositae ac proclamatae sint, hoc loco in suspenso relinquimus. Intellectis demum rationibus illis cognoscetur, utrum disputatione a nobis suscepta ad quaestionem illam celeberrimam solvendam aliquid contribuatur necne.

Haec de libro Elohistico praemittenda erant.

II. Vis et notio ethices vario modo a variis definitur. Religionem et mores comparantibus licet definire sicut

---

1) Idem videtur valere de omnibus libris p. 4 Adn. 1 a citatis. Non satis distinguitur inter mores populi et ethicen legis ipsius. „Sitte und Sittlichkeit“.

H. Schultz, Th. Stud. u. Krit. 1883, Religion und Sittlichkeit in ihrem Verhältnis zu einander p. 61[1]). Cum autem ethices sint, quaecunque a homine libero arbitrio praedito fiunt certi cuiusdam finis assequendi causa, cf. v. Frank, System der christl. Sittl. I, § 2, p. 7 ss., nobis de libri Elohistici ethica acturis tractanda videntur, quaecunque a populo et singulis praestanda sunt ad finem populo et singulis a deo propositum assequendum[2]). Et populum et singulos ad hunc finem pariter contribuere debere, per se manifestum est, nec non, quod proprium est populo propositum, non perfici posse nisi per singulos, et vice versa singulos plerumque in communione populi constitutos (velut toto V. T.), respici.

Quae de deo deque homine credantur, quaeque deus ipse ad hunc finem assequendum contribuerit, tanquam fundamenta ethices libri Elohistici brevi disputatione praemittentur.

III. Disponimus igitur hoc modo:

A. Praemittuntur quaedam de natura dei hominisque ad ethicen pertinentia.

B. Deinde agendum erit de „foedere", quo communio dei hominumque (populique) fit, ut de principio et quasi fundamento ethices.

Notione foederis continetur etiam finis ac proprium populo propositum.

C. Sequitur disputatio, qua via ad hunc propositum finem perveniatur, illustrans.

Pervenitur autem

I. pietate (sensu latissimo dicta),
 1) externa,
  a) munditie, quae ponitur sanctitate;
  b) sanctitate ipsa, [quoad fit sanctificando
   α) loco,
   β) personis,
   γ) temporibus,
   δ) rebus aliis, (donis, opibus),
   ε) singularis est ratio sacrificiorum];

1) „Sittlich nenne ich nur dasjenige Handeln, welches sich auf das Gemeinschaftsleben der Menschen bezieht und in ihm begründet ist". Ibd.: „Dagegen nenne ich religiöses Handeln alle Bethätigungen, welche unmittelbar aus dem Verhältnisse zur Gottheit folgen und dasselbe zum Zwecke haben."

2) cf. Bestmann, o. c. p. 264.

2) interna } negative; }
3) interna } positive; }
II. probitate, (eademque sensu latissimo dicta),
1) in familia et populo,
2) erga peregrinos et gentiles,
3) erga naturam rationis expertem.

Cap. II.

Praemittenda de Deo.

I. Qualis deus ab hominibus creditur, tales solent esse mores hominum. Quod cum de omnium populorum moribus valeat, multo magis probatur ethica Veteris Testamenti, et fere maxime cognoscitur praeceptis in libro Elohistico scriptis, quippe quae omnia ex ipsa dei natura manare videantur: cf. Bruce, Ethics of the O. T. [1895] p. 39[1]). Etsi autem attributa dei, (excepta sanctitate et omnipotentia), raro occurrunt, tamen apparet, deum etiam apud P cognosci non solum omnipotentem (Gen. 17, 1; 28, 3; 35, 11; 43, 14; 48, 3; Ex. 6, 3), quod quidem inter omnes constat, sed etiam iustum et benignum, imprimis autem sanctum. Justitia et gratia ac benignitas dei, etsi non expressis verbis praedicantur, tamen historia ipsa Elohistica revelantur. Quaecunque deus creat, optima, i. e. suo quaeque fini aptissima sunt, Gen. 1, 31. Libera gratia commotus deus benedicit et hominibus (Gen. 1, 28; 9, 1) et patriarchis, (Gen. 17, [4 ss.]. 16. 20; 25, 11a; [28, 4]; 35, 10 s.; 48, 3 s.), promittit hominibus, non iam sese diluvium in mundum illaturum (Gen. 9, 13 ss.), promissionem patribus libere datam fideliter servat, meminit eius populo clamante et invocante, (Ex. 2, 24; 6, 5), populum frementem et inoboedientem in deserto punit quidem, sed non delet (cf. Ex. c. 16; Num. c. 14; 16: 17; 20), postremo, quae promiserat, perfectissime implet Jos. c. 13 ss. Item sicut singularis cum Noae tum Henochi pietas singularibus praemiis ornatur (Gen. 5, 24; 6, 13 ss.), ita pravitas et corruptio hominum ad summum gradum progressa diluvio illato punitur. Atque ipso a Mose

1) „The religious beliefs and the ethical life of Israel are so intimately connected by this fundamental conception of the character of God, that they cannot be separated"; cf. Wuttke, o. c. I, p. 118; Bestmann, o. c. p. 292 s.

et Aarone poena inoboedientiae (et diffidentiae, Num. 20, cf. Dillm.[1]), Num. p. 111), petitur. Quae exempla omnia, quibus alia adiungere facile possis, ipso e libro Elohistico sumpta sunt: apparet his locis deum non alium credi ac toto V. T.

II. Sed ad constituendas leges libri Elohistici constat imprimis sanctitatem dei maximi momenti esse: quamobrem quaerendum est, num hoc attributum dei, (si quidem attributum est, et non ipsa dei natura), notioni dei universae, qualis describitur apud P, conveniat necne.

Sanctum esse deum, scriptum legimus his locis: Lev. 11, 44. 45; Lev. 19, 2; Lev. 20, 26; Lev. 21, 8[2]).

Omnibus locis apposita formula, „nam ego sanctus sum", praeceptum antecedens firmatur. Quod praeceptum est Lev. 11, 44. 45; 19, 2: estote sancti; Lev. 20, 26: estote mihi sancti; Lev. 21, 8: sanctus sit tibi (sacerdos).

Cohaerent sententiae similitudine loci: Lev. 11, 44. 45 et Lev. 20, 26.

---

1) A. Dillmann, Die Bücher Numeri, Deuteronomium und Josua[2] (Kurzgefasstes exeget. Handbuch zum AT., XIII. Liefg.), Leipzig 1886.

2) „Ego sum sanctus" non occurrit Lev. 20, 7, quod contendit Smend, Altt. Religionsgesch., p. 336. שֵׁם קָדְשִׁי occurrit Lev. 20, 3; 22, 32. De notione sanctitatis dei cf. imprimis Baudissin, Studien zur sem. Religionsgesch., Heft II, 1878, ubi et, qui usque eo de hac re scripti erant libri et tractatus, enumerantur, p. 3 s., qui infra passim respicientur. Praeterea cf. imprimis: C. J. Bredenkamp, Gesetz und Propheten, (Erl. 1881), p. 41 ss.; Dillmann, Exodus u. Leviticus[2], (Kurzgef. exeg. Hdbch. XII. Leipzig 1880), ad Ex. 15, 11 p. 157; Jesaias (1890), p 57 ss.; Hdbch. d. Altt. Theol. ed. Kittel (Leipzig 1895), p. 252 ss.; Stade, Gesch. des Volkes Isr., I. Bd. 1887, p. 433 s.; II. Bd. 1888, p. 222 s.; F. E. König, Hauptprobleme etc. (Leipz. 1884), p. 80 ss.; Lotz, Geschichte u. Offenbarung im AT. (Leipz. 1891), p. 166; Reinhold Schröter, Der Begriff der Heiligkeit im A. und N. Test. (Leipzig 1892), p. 8 ss.; B. Baentsch, Das Heiligkeitsgesetz (Erf. 1893), p. 134; R. Smend, Lehrbuch der altt. Religionsgesch. (Freiburg i. B. u. Leipzig. 1893), p. 333 ss.; J. Wellhausen, Proleg. zur Gesch. Isr.[3], Berlin 1886, p. 441 s.; eiusdem, Israel. und jüdisch. Gesch.[1] (Berlin 1894), p. 137 s.; Bruce, op. cit. p. 48 ss.; Luthardt, o. c. I, p. 31; H. Schultz, Altt. Theol.[5] (Gött. 1896), p. 436 ss.; O. Naumann, Wellhausens Methode kritisch beleuchtet (Leipz. 1886), p. 59 s.; A. Kayser, Theologie des AT.[2] ed. Marti (Strassburg 1894), § 9, p. (25 s.), 130 ss.; v. Orelli, in Zeitschr. für Kirchl. Wissensch. u. v. Leben, V. 1884, p. 16 ss.

Utroque loco agitur de non edendis animalibus impuris. Quae sit ratio illorum praeceptorum, infra investigabitur. Certe apparet, sententiam esse, populum debere fugere immunditiem animalibus impuris comesis contrahendam, quia deus sanctus sit. Sanctitas dei opponitur immunditiei corporis, videtur igitur esse munditics summa.

Contra Lev. 19, 2 sanctitas dei populo exemplum proponitur, quo impellatur, ut impleat varia praecepta et morum et religionis. Videtur hoc loco sanctitas dei summa morum integritas.

Utique manifestum est, his locis sanctitatem dei non esse notionem relationis „Verhältnisbegriff“, i. e. non solum exprimitur, Israel esse populum dei et Jehovam deum populi Israel. Sed idcirco, quod Israel populus dei est, fiat deo similis. Quae praecipiuntur, ex sanctitate dei oriuntur; atque ei conformia et convenientia dicuntur. Sunt autem praecepta et corporis munditiem et morum integritatem exigentia: cf. Baud., o. c. p. 74 s.

Lev. 21, 8 iubentur Israelitae sacerdotes sanctos habere, quia, inquit deus, ego sum sanctus, Jehova, qui sanctifico vos. „קִדַּשְׁתּוֹ“ et „קָדֹשׁ יִהְיֶה־לָּךְ“ significant aut: curam habeas, ut ne se polluat neglectis praeceptis, quae de munditie sacerdotum supra (v. 1—7) data sunt (Keil), aut: veneraberis et honorabis eum, ut qui deo sit proximus, (Knobel, Dillm.). Apponitur, quia ego sanctus sum, quo significatur aut, qua de causa sacerdos haec praecepta servare debeat, scilicet, quia, qui deo appropinquat, naturae dei conformis esse debet, aut, qua de causa sacerdos honore et timore afficiendus sit, scilicet, quia is, cui ad deum proxime accedere licuerit, divinam quandam auctoritatem accipit. Videtur igitur sanctitas dei aut sicut Lev. 11, 44. 45; 20, 26 summa dei munditics[1]) aut ipsa dei divinitas esse. Cum autem in contextu verborum solum agatur de munditie a sacerdotibus praestanda (Lev. 21, 1—7. v. 10 ss.), sententia prior mihi magis probata videtur. Sed velim animadvertas, sanctitatem dei magis opponi immunditiei, quam componi munditiei. Si de rebus naturae vel hominibus agitur, plerumque munditics sanctitate ponitur, praesertim cum sanctitate multis locis nihil aliud significetur quam coniunctio cum deo. Cf. Baud., o. c. p. 69 s.

---

1) Cf. Smend, Altt. Religionsgesch., p. 337.

Apud P autem ex sanctitate dei non solum, quae munditiei naturalis, sed etiam quae integritatis morum sunt, deduci apparet. Sanctitate dei ambo continentur. Quae quamvis inter se differre videantur nobis, tamen apud P omnia peccata sub aspectu maculae ponuntur, cf. Schmoller, Th. St. u. Kr. 1891, p. 268, (222), et, quae maculant, sive corpus sive animum, peccata videntur. Convenit sanctitatem dei esse summam dei perfectionem, quâ omnis cum naturae tum morum immundities excluditur; cf. Stade, Gesch. Isr. II, p. 222 s. Qua de causa punitis repugnantibus deus sanctus cognoscitur, [cf. Lev. 10, 3; Num. 20, 13 (P?): אֶקָּדֵשׁ, יִקָּדֵשׁ].

III. Apparet, ex illis paucis locis libri Elohistici, quibus deus sanctus dicitur, non perfectam huius notionis definitionem sumi posse. Accedit, quod fere omnia praecepta e natura dei deducuntur, [quod significatur v. g. apposito: „ego sum Jehova," sive: „ego sum Jehova, deus vester," cf. Driver, Introduction[5], p. 45, (sub Nr. 1) et adn. 2 et 3], ut, qualis deus sit, respectis demum omnibus singulis praeceptis perfecte cognoscatur. Et quamquam etiam multae leges sunt, quae sola in communione dei et populi nitantur, tamen Lev. 19, 2 et illis quasi titulus superscribitur[1]): „estote sancti, quia ego sum sanctus," quae ratio eiusmodi legibus non convenire videtur. Nam illarum legum ipsa ratio est, ut populus deo dedicet, quae deus sibi vindicaverit, non ut deo similis sit.

Apud P ergo notio sanctitatis dei latissime patet, quippe quae opposita sit omni vitae gerendae rationi lege vetitae; cf. Smend, l. c.; maxime autem summa et morum et naturae integritas videtur. Cf. Naumann, l. c. p. 59s.; Baud., o. c. p. 93 s., 130 s.

Non licet dicere, apud P sanctitatem esse ipsam dei divinitatem, quod valet de multis locis V. T., cf. Dillmann, Jesaias[5] p. 57 s.; Baud., o. c. p. 15 s.

Sanctus enim deus dicitur solum, qua parte est deus populi Israel, cf. p. 9, Adn. 3; non qua est deus mundi. Neque licet dicere sanctitate omnia attributa divinitatis

---

1) Saepius quidem ratio apponitur: ego sum deus vester Lev. c. 19 v. 3. 4. 10. 25. 31. 34. 36 sive ego sanctificavi vos Lev. 20, 8; 21, 8; 22, 32 etc.; i. e. Jehova populum Israel suum fecit; sequitur, ut hanc coniunctionem depingat et exprimat.

contineri; Dillmann, Altt. Theol., p. 252; Schröter, o. c. p. 11.

Certe enim dei omnipotentia sanctitate, qualis apud P occurrit, non continetur. Cf. Ew., Lehre v. G. II, p. 241; Duhm, Theol. d. Proph., p. 169; Orelli, Realencykl.[2] V, p. 718.

Neque dei gratia et benignitas in sanctitate nititur. (Menken, ex parte Dillmann, cf. o. c. p. 257; Cremer, bibl. th. Wörterb. der NTl. Graecitat[3] p. 38 s.)

Nec sanctitas dei creaturae ipsi opponitur[1]), quia creatura per se intellecta nunquam deo infesta videtur.

Atque etsi nonnullis locis V. T. sanctitas dei intelligenda est excelsitas ipsius naturae divinae, tamen voce „excelsitatis" quidem res accuratius non explicatur[2]). Quaerendum enim est, qua parte excelsus deus dicatur, et manifestum est, apud P quidem deum sanctum non idcirco dici, quod excelsus sive eminens potentia sit. Omnipotentia dei plane alius rationis est.

Neque ullo modo significatur, sanctitatem esse plenitudinem vitae (Diestel, Oehler[2], p. 165, quem refutat Baud., o. c. p. 11 s., p. 88; Schultz[5], p. 436).

Quodsi non licet deo appropinquare, apparet causam esse dei sanctitatem: hoc praeceptum ex sanctitate dei proficiscitur, non ipsa sanctitas eo continetur, quare iterum quaerendum est, curnam deus hoc praeceperit.

Si solos locos libri Elohistici huc spectantes respexerimus, non facile alia probantur de sanctitate dei, ac supra disputavimus. Sanctitas dei est summa dei perfectio, qua omnis et morum et naturae immunditics excluditur[3]). Convenit igitur hoc attributum universae dei conceptioni, quae occurrit apud P: illud unum imperfectum videtur, sanctitatem dei opponi immunditiei naturae[4]). Quomodo ex sanctitate dei singula praecepta proficiscantur, et quaenam eis rationes ad mores pertinentes subsint, infra investigabitur.

1) c. Ritschl, Rechtfertigung und Versöhnung[2] II, p. 90–96; p. 201 ss., 204 s.; cf. infra Cap. X, III.

2) Contra Schröter, o. c. p. 10 s.

3) Sanctum novit deum solus populus Israel, quia soli huic populo foedus constituit et sanctum sese revelavit, praecipue quia solo ab hoc populo omnia ea postulat, quae sanctitati ipsius conveniunt, cf Lev. 11, 44 s.; Num. 15, 39 ss.

4) Cf. Bestmann, o. c. p. 299; Baud., o. c. p. 121 s.

Cap. III.

Praemittenda de homine.

Sicut de deo, ita et de homine pauca quaedam praemittenda sunt, quae ad nostram rem spectant. Quod ut faciamus, eo magis admonemur, quod libro Elohistico illud ipsum continetur caput V. T., quo omnia fundamenta morum ponuntur (Gen. 1)[1].

Qua de re cum non sit dissensio, breviter graviora quaedam proferre sufficit.

I. Quamquam homo sicut omnia alia praeter deum creatura videtur, tamen, quia est imago dei, omnibus creaturis praestat. Causa est ipsius dei praemeditantis consilium. Imago dei dicitur homo, quia solus, deo similis, persona libero arbitrio praedita videtur. Sequitur, ut non sit pars naturae, sed dominus naturae, ut facultatem habeat dei consuetudine utendi. Quaenam alia in imagine dei nitantur, hic disputandum non est.

Quae de omnibus creaturis dicuntur (Gen. 1, 31), valent et de homine. Etiam homo a deo optimus factus est, i. e. fini suo aptissimus; apparet, eam perfectionem et ad mores pertinere, et quamquam non intelligenda est summa morum perfectio, tamen integritas quaedam videtur esse.

Historia peccati primi non est libri Elohistici; sed manifestum est, etiam apud P peccatum esse corruptionem, peccato hominem et deum separari, ipsam naturam rationemque peccati contineri transgressione legis divinae (cf. Gen. 3), peccatum niti in libero hominis arbitrio, qua de causa ratio repetitur et culpa contrahitur, denique peccato et naturam hominis in deterius commutari (cf. Gen. 2, 25 et 3, 7 J.).

His in rebus una est totius V. T. sententia. Unde peccatum in mundum venerit, apud P non disseritur, sed hominem e peccato liberari posse et liberari debere, eodem modo ponitur.

Et morte naturam a deo creatam corrumpi, qua de causa deus abominatur, quaecunque mortis sunt et cum morte cohaerent, ipso libro Elohistico maxime urguetur. De qui-

---

1) Cf. Wuttke, o. c. I, p. 118; A. Köhler, Lehrbuch der Biblischen Geschichte Alten Testamentes I. (Erl. 1875), p. 21 s.; Dillmann, Altt. Theol., p. 353 s.

bus rebus omnibus infra accuratius disputandum erit, quia hae rationes maxime singulis legibus cognoscuntur, non aperte proclamantur.

II. Etiam apud P peccatum in mundo paulatim serpit[1]) et crescit et augetur, usque quo deus iustum iudicium mundo inferre cogatur. Quodsi Gen. 5, 3 narratur, Adam imaginem dei in filium suum propagasse, et Gen. 9, 6 sanctitas vitae hominis firmatur eo, quod secundum imaginem dei factus dicitur, sententia est, praestantiam homini prae omnibus creaturis a deo datam manere et salvam esse. Convenit facultatem liberi arbitrii omnium hominum nullis omnino argumentis prolatis statui.

Non minus autem ponitur universos homines peccare. Quamquam hoc nullo loco expressis verbis dicitur, porro quamquam a quibusdam probitas quaedam praestari potest, vel pietas singularis a singulis velut a Noa, ab Henocho, a patriarchis, tamen ipsa illa singularitate pietatis monstratur universitas impietatis et improbitatis; cf. Dillmann, Altt. Theol., p. 377; accedit, quod leges sunt (velut circumcisionis), quarum ratio non nisi hac propositione posita cognoscitur.

Sed nondum omnia complexi sumus, de quibus agendum est, ut ipsa ratio et vis ethices libri Elohistici recte cognoscatur.

Apparet enim, quae hoc libro praecipiuntur et ab homine exiguntur aut libere praestantur, fere omnia niti in „foedere“ dei cum hominibus vel populo constituto. De „foedere“ tanquam fundamento ethices iam agemus.

Cap. IV.

Praemittenda de foedere rationibusque universis.

I. Vox ברית[1]) primum occurrit apud P Gen. 6, 18, cui loco respondet 9, 9 ss., praeterea praecipue respiciendi

---

1) Cf. Dillmann, Altt. Theol., p. 366, 368.

2) De notione foederis, (quae occurrit apud P), cf Smend, Altt. Religionsgesch., p. 301 s.; J. J. P. Valeton jr., „Bedeutung und Stellung des Wortes ברית im Priestercodex, ZATW. XII. 1892, p. 1 ss. [vgl. Volck, Heilige Schrift und Kritik II, N. kirchl. Zeitschr. VI, 1895, p 23]; Wellhausen, Proleg [3] p 352 ss.; praeterea v. Hofmann, Schriftbew.[2] I, p. 414 ss; Bredenkamp, Gesetz und Propheten, p. 21 ss.; König. Hauptprobleme, p 84 ss; Dillmann ad Gen. 9, 9 ss.; Köhl., Gesch. I, p. 111 Anm. 1; Schultz[5], p. 314; Luthardt, o. c. p. 34 ss.

sunt loci: Gen. c. 17 [Gen. 35, 11]; Ex. 2, 24; 6, 4 s.; 31, 17, [H. cf. Köhler, Lehrb. d. Bibl. Gesch. AT.'s, II, 2, p. 156 Anm. 6; Dillmann, Ex. u. Lev., p. 330]; (Lev. 2, 13 Num. 18, 19), Lev. 26, 9. 15; 26, 25. 42. 44 s.; Num. 25, 12.

Gen. 9, 9 ss. apparet, ברית esse legem sive officium a deo ipso sibi impositum et sollemniter susceptum, salutis hominum causa, i. e. ברית est promissio a deo hominibus, (necnon animalibus Gen. 9. 10), data, cf. Gen. 9, 11 et „constituam (הֲקִמֹתִי, cf. Köhl., Gesch. I, p. 111 Anm. 1), i. e. perficiam, praestabo), „foedus" meum vobiscum, ne (ולא) amplius exstinguantur creaturae aquis diluvii": causa huius promissionis libera dei gratia, signum, quo deus promissionis meminerit, arcus coelestis est. Datur autem promissio illa nulla exceptione facta.

Leges Noachicae, quae appellantur, Gen. 9, 3 ss. sanciuntur nulla ratione foederis subsequentis habita; et animadvertendum est, versibus 9, 2 ss. non solum iuberi et praecipi a deo, sed etiam permitti (v. 2 s.) et promitti (v. 5, 7). Utique argumentis probari non potest, promissionem a deo 9, 9 ss. datam positam esse in impletione legum 9, 3 ss. praescriptarum. Deum promissionem suam nonnisi certis quibusdam condicionibus impleturum esse, nullo modo significatur.

II. Ad nostram quidem rem magis spectat foedus cum Abrahamo factum Gen 17; Hoc autem loco primum deus Abrahae praeceptum late patens dat, tanquam condicionem universam, „ambula coram me et esto perfectus;" deinde promittit, se „foedus" (suum) facturum inter se et Abrahamum (וְאֶתְּנָה בְרִיתִי בֵּינִי וּבֵינֶךָ וגו'); et se aucturum esse Abrahamum maxime.

Abraham autem praeceptum et promissionem accipit (procumbens in faciem suam), quo facto ratio et vis „foederis" diligentius explicatur et definitur. Inde a versu quarto usque ad versum octavum „foedere" nihil contineri videtur nisi promissiones a deo Abrahae eiusque posteris datae.

primum: Abrahamum fore patrem multarum gentium (nec non regum);

deinde: Abrahamum (v. 8) et posteros eius possessuros totam terram Cenaaniticam:

denique: deum velle deum Abrahae et posterorum eius esse in aeternum, i. e. velle deum A. et posteris eius sensu

strictiore eum esse, qui mundo universo sensu latiore sit[1]); cf. Valeton, l. c. p. 12 s.

Versu 9 subito Abraham iubetur „foedus“ „servare“ (שׁמר). Quaenam sunt servanda? Non quae v. 1 dantur praecepta, sed „foedus“ servatur circumcisis omnibus masculis: זֹאת בְּרִיתִי אֲשֶׁר תִּשְׁמְרוּ ...... הִמּוֹל לָכֶם כָּל־זָכָר v. 10. Circumcisio appellatur signum „foederis“ (v. 11), vel per synecdochen „foedus“ ipsum in carne (constitutum) v. 13. Quicunque hoc signum repudiaverit, exstirpandus est: „foedus meum rupit“ v. 14.

Signum huius foederis (cf. Cap. V, I. II.) igitur res a homine praestanda videtur, non sicut Gen 9 res a voluntate hominis prorsus remota.

ברית ergo etiam Gen. 17 imprimis officium a deo sollemniter susceptum videtur salutis Abrahae eiusque posterorum causa. Qui incipit, deus est, qui libera gratia promittit. Propositio illa latissima versu primo c. 17 facta parum respicitur, (quem ad modum etiam Noae pietas quasi fundamentum foederis postea constituti dici potest). Promissione demum facta deus ab homine certum aliquod signum exigit, quo in corpore suo accepto profiteatur, se promissionem dei accepisse. Neque vero licet homini, signum illud aut promissionem repudiare, neque sua sponte „foedus“ solvere, quod non sua sponte constitutum est, sed oboedientem se praestare debet.

Clarissima ergo videntur haec: prima est promissio dei libera gratia data, sequitur oboedientia ab homine praestanda.

Quae deus postulat, primum praestanda sunt, quia deus postulavit, i. e. obtemperandi causa; sed quaerendum est, sitne et ratio quaedam interior inter circumcisionem et electionem per foedus factam, cf. infra Cap. V, II. contra Smend., o. c. p. 302. Utique signo foederis et pietas Abrahae, qua prima promissio nitebatur, et fides, qua Abraham promissionem acceperat in memoriam revocabatur.

III. Locis [Geneseos 35,11]; Ex. 2,24; 6,4 ss. imprimis ratio promissionis a deo datae in notione foederis praevalet; Ex. 31,12 ss. alterum signum foederis inter deum et

1) cf. Rosenmüller, scholia in V. T. I., ed. III (Lips. 1821), p. 314 ad Gen. 17, 8: Deus enim eorum deus esse dicitur, quibus singulari ratione favet.“

populum constituti proponitur, quo cognoscatur, a Jehova populum sanctificari (Ex. 31,13). Sanctificantur autem res eo, quod a deo in propiorem sui communionem admittuntur et recipiuntur et quasi dei fiunt. Sabbatis celebrandis cognoscetur, Jehovam populum Israel suum fecisse. Apparet, hoc modo nihil aliud dici, quam quod Gen. 17 Abrahae promittitur- „ego ero deus iis". Cum autem signum a populo faciendum sit, praevalet hoc loco ratio oboedientiae praestandae. Quae sit ratio inter sanctificatum a deo populum et sanctificandum a populo sabbatum, infra investigabitur.

Quae Lev. 2,13 praecipiuntur de omnibus sacrificiis sale „foederis" condiendis, in veteribus consuetudinibus nituntur (cf. Dillmann, ad Lev. 2,13, Ex. u. Lev., p. 405), neque licet, inde de notione foederis concludere.

Num. 25,12s. (et 18,19) ברית est promissio singulari condicione datâ a deo Pinehasi (et Aaroni) facta, cf. Cap. VII, II.

Lev. 26 foederis notio eadem videtur quae apud Elohistam, quamquam hoc caput non ipsius Elohistae esse videtur[1]). v. 9. 42. 44 s. foedus imprimis promissio patribus data intelligitur, quam deus servatis a populo legibus praestabit, cuiusque populo poenitentiam faciente meminerit. Promissio gratiae hoc quoque capite firma et irrevocabilis dicitur (v. 44 s). Solum differt, et promissiones singulas „foederis" diligentius describi atque explanari Lev. 26,4 ss., et expressis verbis dici, omnia singula praecepta dei a populo servanda esse (v. 3. 14. ps.); certum signum foederis non respici, quavis inoboedientia foedus rumpi (v. 15. 25).

Sed hoc magis dictionis quam rei discrimen videtur. Ex quo enim lex proclamata est, etiam apud P omnia praecepta „foederis" causa servanda sunt, quippe quae omnia in foedere nitantur. Notum est apud P non narrari de foedere apud montem Sinai constituto, sed haud scio an Ex. 31,12 ss. vestigium huius foederis occurrat[2]).

Apparet autem, non opus fuisse, ut apud montem Sinai novum foedus constitueretur, sed solum ut vetus in universum populum extenderetur. Inde a foedere cum Abrahamo constituto universa historia Elohistica nihil aliud

---

1) cf. Nöldeke, o. c. p. 65 s.
2) cf. Dillm., Ex. u. Lev., p. 330.

monstratur, quam quomodo deus triplicem illam promissionem impleverit. Ex Abrahami lumbis provenit populus maximus, posteri Abrahae accipiunt terram promissam (Jos. 13 ss.), legis universae ratio omnia complectens continetur verbis: ego ero deus illis, cf. Gen. 17,7 Ex. 29,44 ss. Lev. 26,12.

Quod ut fiat, populus a deo ex Aegypto educitur, (Ex. 29, 46; Lev. 26, 45), et domicilium dei in medio populo exstruitur, (Ex. 29, 45; Lev. 26, 11 s.), necnon sacerdotium constituitur, (Ex. 29, 44).

Sed etiam populus pro sua parte contribuere debet, ut re vera fiat populus dei, sive, quod idem est, populus deo sanctus. Quamquam solae leges circumcisionis faciendae et sabbata celebrandi signa foederis sensu strictiore dicuntur, tamen omnium legum finis est, ut sanctitas populi constituatur, constituta depingatur, turbata vel maculata restituatur. Possunt ergo etiam apud P omnia praecepta intelligi foederis praecepta.

IV. Quibus omnibus comparatis,

1) apparet, foedus apud P (sicut toto V. T.) non esse pactionem ex libidine unius partis solvendam; sed maxime promissionem a deo libera gratia datam. Promittuntur cum alia tum arctius deum sese cum populo coniuncturum. Cetera, quae promittuntur, solius huius promissionis causa fiunt.

2) Promissione data signa quaedam proponuntur, quibus cognoscantur participes foederis. Rationem horum signorum cum fine foederis universo cohaerere, infra apparebit.

3) Promissione ipsa et praeceptum continetur. Primum deus communionem init cum populo, sed ob id ipsum oportet populus profiteatur et ostendat, se esse populum dei, et talem se praestet, qualis in communione dei esse debet.

4) Inde oriuntur omnia praecepta singula. Primum populus se suaque omnia deo dedicet, (cultu externo et pietate), (pars I); deinde dei exemplum sequatur (integritate morum et probitate), (pars II).

Quem ad finem ut perveniatur, a populo et a singulis pariter opera danda est.

V. Foedere igitur non solum principium, sed etiam finis ethices libri Elohistici continetur.

Quae deus exigit, exigit, quia foedere populo coniunctus est, a populo nihil exigitur, nisi ut re vera fiat, quod ipsa

foederis notione et specie (*ἰδέᾳ*) continetur, cf. Wuttke, o. c. I, p. 118; Dillm., A. Theol., p. 422.

Accidere posse, ut quis foedus a deo oblatum reiiciat, non ponitur, nec poni potest, ex quo foedere ab Abrahamo accepto singuli Israelitae foederis participes nascuntur. Sed non sufficit, natum esse Israelitam, cf. Wellh., Israel. u. jüd. Gesch.[1], p. 143. Quaenam praestanda fuerint, ut nati Israelitae revera foederis participes fiant, infra deinceps tractabitur.

Neque ponitur, (excepto Lev. capite 26, 14 ss.), accidere posse, ut communio foederis quasi interrumpatur in longius quoddam temporis spatium, et emendatis moribus animisque restituatur. Apud P res futurae, quae quidem populo expugnata terra eventurae sint, non respiciuntur, sed ponitur, populum libentem volentemque praecepta dei impleturum esse.

Qui restiterit, aut confestim exstirpandus est ab ecclesia universa, aut a deo exstirpabitur (נכרתה); de sententia huius formulae[1]), cf. Dillmann ad Gen. 17, 14; Wellh., Israel. und jüd. Gesch.[1], p. 138, Anm. 1; Kayser-Marti, o. c. 2. Aufl. p. 213 s.

Item ecclesia universa contra deum eiusque ministros repugnante, plerumque (Num. 17, 11 ss., 25, 6 ss., cf. Num. 14, 27 ss.), poena statim a deo petitur, neque multum abesse videtur, ut gravissimi peccati cuiusdam causa universa ecclesia exstinguatur (Num. 17, 11 ss.). Legis enim maxime interest sanctitatem populi utique conservari et, si maculata fuerit, confestim restitui.

Qua de causa non solum cum tota vita singulorum tum omnes res publicae vario modo legibus circumscribuntur, sed etiam quo modo immundities et maculae tollendae et lustrandae sint, describitur.

Dubium non est, quin lege ponatur, omnia praecepta de munditie et sanctitate externa data impleri posse. Et revera poterant impleri, diligentia obtemperandi observata. Aliter res se habere videtur, si respexerimus leges ad mores pertinentes, quibus et ipsis sanctitas populi constituitur, quaeque multo latius patere videntur. Sed ponitur etiam hac parte, pietatem et probitatem quandam a homine prae-

1) Aliter Kuenen, Godsdienst II., p. 186 s., qui probat hanc formulam esse formam minitationis solam, qua nil nisi gravitas peccati inculcetur.

stari posse, qua, quamvis non expers peccati, tamen deo acceptus est. Exempla sunt patriarchae.

VI. Cum omnes leges datae sint, solum quibus impletis populus talis fiat, qualis populus dei esse debet, non mirum videtur, a populo ante omnia postulari, ut obtemperet deo. Quae a homine praestanda sunt, non bona videntur per se, sed per voluntatem dei[1]. Sequitur, ut non conveniat sententiae libri Elohistici, quidquam, quod deus praeceperit, pluris vel minoris aestimare quam aliud quodvis et ipsum a deo praescriptum. Quamobrem licet distinguatur inter praecepta ad cultum et ad mores pertinentia, tamen non licet, ut separentur et secernantur, et multo minus licet altera alteris praeferre. Utraque pariter a deo data sunt, unus utrorumque finis est, utrisque implendis populus dicto audientem deo se praebeat. Praecepta inter se differentissima hac ratione communi coniunguntur; occurrunt leges, quibus ratio subiici non potest, nisi quia deus sic voluit. Quid honestum, quid turpe sit, non disputatur, neque quid moribus omnium vel fini homini innato vel naturae ipsi conveniat, quaeritur, sed quaeritur, immo revelatum est, quid deus voluerit.

VII. Quibus rebus autem populus et singuli impellantur[2], ut hoc modo deo dicto audientes sint, accuratius non exponitur. Quamquam deus singularem pietatem singularibus praemiis ornasse traditur historiâ Henochi et Noae, tamen v. g. promissio Abrahae datur, non quia pietate meritus sit, sed libera gratia, neque accipit populus Israel terram Cenaaniticam, quia obtemperantem se praestiterit. Sola in lege sanctitatis, (Lev. c. 17—26), bona plerumque terrena tamquam obtemperantiae merces proponuntur (Lev. 26, 4 ss.). Sed omnes promissiones singulae hoc quoque loco eo redeunt, ut promittatur, Jehovam habitaturum esse in medio populo suo et deum fore illorum illosque populum ipsius (v. 11—13). Deum autem revera in medio populo habitare et populo suo propitium esse, cognoscitur bonis illis terrenis a deo acceptis, et maxime quia hoc modo deus ipse monstrare videbatur, se esse deum populi (cf. v. 9), et promissionem foederis

1) cf. Stade, Gesch. Isr. II., p. 265 s.; H. Schultz, Th. St. u. Kr., 1883, I., p. 110 s. 113.

2) cf. imprimis H. Schultz: „Die Beweggründe zum sittlichen Handeln in dem vorchristlichen Israel.“ Th. St. u. Kr. 63, 1890, I. Heft, Eiusdem Altt. Theol.[5], p. 349 ss.

praestare et implere (v. 12), bona illa terrena tanti aestimantur[1]). Pertinent igitur et hae promissiones ad religionem.

Excellit sublimitate rei locus Lev. 18, 5: qui praecepta dei servaverit, vivet per ea (חַי בָּהֶם). Sententia non solum est, non fore, ut, qui hoc fecerint, exscindantur, cf. Baentsch, Das Heiligkeitsgesetz, p. 140s.; Schultz, St. u. Kr. 1890, I., p. 35.

Nam adiungitur בָּהֶם, (בְּ instrumenti: per ea). Et vocis חַי vis maior est, quam poenae expertem esse. Quodsi enim Ez 20, 25 leges (מִשְׁפָּטִים לֹא יִחְיוּ בָּהֶם), quibus impletis homines non vivunt, vocantur eae, quibus populus ipse interitum et perniciem et odium dei sibi contrahit, apparet, sententiam esse, ipsis in legibus servatis vitam positam esse hoc modo, ut ipsa in obtemperantia homines acquiescant. Praemium obtemperantiae non legibus additur, sed inhaeret. Non solum vita servatur impletis praeceptis, sed vera hominis vita est obtemperare deo.

In libro Elohistico ipso[2]) singulae leges dantur nulla mercedis vel praemii vel meriti ratione habita. Obtemperatur obtemperandi causa. Potuerunt sane Israelitae metu poenae deterreri, ne leges dei transirent, sed, sicut supra dictum est, ponitur, populum deo oboedientem esse velle. Quod si fecerit, non singulare aliquid perfecisse, sed solum officium suum praestitisse videtur.

Sed praemium obtemperantiae positum est in obtemperantia ipsa; debebant omnes pro sua quisque parte contribuere ad assequendum, quod proprium erat populi propositum; atque ipsum illud populo propositum (scilicet artissima dei populique communio facienda et observanda), tantum videtur, ut omnes gaudere debeant, quibus liceat, ad hunc finem assequendum oboedientia praestanda contribuere. Lex non solum onus populo imponitur, sed maxime monumentum electionis populi proponitur[3]). Lex duarum tabularum appellatur עֵדוּת, testimonium; videtur quasi pignore ostendi, deum populo illi se revelasse. Ipsa lege praestat Israel ceteris gentibus; ergo laeto animo operam det, ut ad finem

1) cf. Köhler, Israels Erwählung, p. 10s.; Wuttke, o. c. I., p. 126; R. Smith, Das alte Test., (deutsch v. Rothstein), p. 287.
2) cf. Schultz, l. c., p. 39–41.
3) cf. Stade, Gesch. Isr. II., p. 251; Schultz, l. c. p. 42, 46; Klostermann, Gesch. des Volkes Israel (München 1896), p. 251.

lege sibi propositum perveniat. Apparet et hac parte historiam Elohisticam maximi momenti esse, quippe qua demonstretur, quomodo a deo omnipotente, totius mundi creatore et moderatore, solus populus Israel ex omnibus gentibus libera gratia electus sit, et quasi omnia in unum illum populum creata esse et dirigi videantur.

Sicut toto Vetere Testamento ita etiam apud P extremum principium gratia dei eligentis et promittentis proponitur. Necnon finis promissionis sive foederis idem videtur ac omnibus locis, sc. fiat populus deo sanctus sive dedicatus, cum deo coniunctus.

Sed quaerendum est, num et via ac modus, quibus ad hunc finem perveniatur, universae V. T. sententiae conveniant. Quod iam investigabimus.

Cap. V.

De munditie corporis externa.

Cum populus Israel iubeatur sanctum se praebere deo, neque quisquam possit sanctus esse, nisi qui et purus est, ante omnia necesse est, populum et singulos puros fieri et servari. Legibus puritatem corporum praecipientibus totius vitae habitus circumscribitur. Incipiendum est a circumcisione, in qua et puritas et sanctitas populi nititur.

I. Inter omnes constat, circumcisione singulos in societatem populi Jehovae sancti recipi [1]), sed quaerendum est, num re vera [etiam ex sententia P] infantes circumcidi jubeantur, quo puri fiant, et cuius generis sit illa puritas.

Praecepta circumcidendi legimus apud P: Gen. 17 (passim), Exodus 12, 44. 48; Lev. 12, 3 (Gen. c. 34; Ex. 4, 25 non sunt Elohistae).

Lev. 12, 3 sola lex ipsa circumcidendi octavo die infantes repetitur.

Ex. 12, 44, 48 solum dicitur, eos, qui pascha celebrare velint, utique circumcidendos esse, et servos empticios et peregrinos.

Ex his igitur duobus locis ipsa circumcisionis ratio et vis non intelligitur. Neque etiam Gen. 17 de hac re clarius

1) cf. Schultz, Altt. Theol. [5], p. 134 s; Kayser, Altt. Theol. [2], ed. Marti (Strassb. 1894), p. 213; Dillmann, Altt Theol., p. 453; Kuenen, Godsdienst II, p. 167.

quidquam explicatur. Sed vel eo, quod circumcisionem fieri a deo iubetur[1]), demonstratur, hanc rem non esse solam gentis consuetudinem, qua populares inter se cognoscantur. Atqui circumcisio Gen. 17, 11 appellatur אוֹת בְּרִית, similiter v. 13 בְרִיתִי בִּבְשַׂרְכֶם, „signum foederis", „foedus meum in carne vestra" sit, i. e. appareat. Cum autem Gen. 9 arcus coelestis sine dubio signum dicatur, quo deus ipse sibi foedus cum hominibus factum in memoriam revocet, cf. Gen. 9, 14ss., Valeton jr. (ZATW., XII, 1892, I, p. 9s.) probat, circumcisionem (apud P) non esse „Kennzeichen derjenigen, für die die Berith gegeben ist (ausser in der Novelle Ex. 12, 43—51), sondern ein Erinnerungszeichen für Gott . . . . . ., für den Menschen zugleich ein Beweis des Glaubens, der Beweis nämlich, dass man der Berith Gottes gewürdigt, dieselbe für sich und die Seinigen angenommen hat".

Sed, quaeso, distinguas primum inter statum circumcisionis et circumcisionem ipsam. Non circumcisum esse fidei est, sed circumcidere. Qui noluerit circumcidi, foedus dei repudiat et exstirpandus est (cf. Gen. 17, 14). Circumcidendo se et suos omnes Abraham fidelem deo se praestat. Inde ergo nihil patet de ratione circumcisionis ipsius.

Deinde circumcisionem solum signum esse deo, quo meminerit eorum, qui foedere secum coniunguntur, solo comparato arcu Gen. 9 probari non potest, cum circumcidi homines iubeantur data promissione, arcum autem in nubibus ponere solius dei sit; circumcisione certi quidam homines discernuntur a ceteris, foedus Noachicum omnibus hominibus datur. Et si non solum deus, sed et homines arcum caelestem videntes reminiscuntur promissionem tunc datam, illud quidem non minus perspicuum est, fieri non posse, quin et participes foederis signo foederis (Gen. 17, 11) inter se noscantur, et promissionem foedere datam reminiscantur. —

Neque licet, omnes alios locos, quibus apud P de circumcisione agitur, negligere. Exod. 12, 43ss. circumcisionem signum esse eorum, qui foederis participes sunt, apparet. — Lev. 12, 3 lex circumcidendorum infantium media inter leges puritatem exigentes occurrit. — Ex. 6, 12, 30 dicit Moses, se esse עֲרַל שְׂפָתָיִם incircumcisum labiis. —

1) Circumcisionem a deo institutam esse, hoc capite quidem clarissime dicitur ab Elohista, contr. Bestmann, Geschichte d. chr. Sitte, Bd. I, p. 248. Non quomodo haec consuetudo orta sit, sed quomodo P de ea senserit, hic disputandum est.

Lev. 19, 23 fruges arborum recens plantatarum per tres annos ut incircumcisarum edi vetatur. — Denique Lev. 26, 41 sermo fit de cordibus praeputiatis.

Lev. caput XXVI, v. 3ss.[1]) dictione universa et proprietate prophetarum sermonibus simillimum esse, inter omnes constat. Quamobrem non licet dicere, omnia, quae inde cognoscuntur, fuisse et sententiam ipsius Elohistae, quamquam consentaneum est, non futurum fuisse, ut hoc caput cum toto codice H reciperetur, si Elohista nimis a sententia eius abhorruisset, cf. p. 3. Ubicunque autem sermo fit de cordibus praeputiatis, apparet, circumcisionem corporis intellectam esse symbolum et imaginem cordum purgandorum, cf. Oehler, Theol. d. A. T., p. 296; Now., Arch. I, p. 169; Ewald, Altt., p. 129; Dillm., Altt. Theol., p. 378 (508); Schultz [5], p. 135; Smend, Altt. Religg., p. 330.

Quodsi arbores vocantur incircumcisae, Lev. 19, 23, sententia est, hominibus non licere arboribus talibus, quales natura sunt, uti, priusquam dedicatis deo frugibus quarti anni purae et mundae factae sint; cf. Dillm., Ex. u. Lev., p. 555 s.

Denique dubium non est, quin labia incircumcisa (Ex. 6, 12. 30) intelligenda sint ea, quibus macula quaedam sive vitium naturâ adhaeret, quaeque non sunt talia, qualia naturâ esse debent.

II. Quibus locis comparatis illud quidem apparet: hominem talem, qualis nascitur, non aptum esse, qui in communionem foederis recipiatur. Sed circumcisione demum fit talis, qualis possit in consuetudine cum deo esse; sive, quod idem est, lustratur et purgatur. Ablata aliqua corporis parte aufertur vitium naturae adhaerens, quo homo impeditur, ne fiat deo sanctus. Non ergo deus donum ullum gratiae circumcisione coniunxit ita, ut circumcisio vehiculum sit accipiendae gratiae, omnino non accipit homo circumcisione quidquam, nisi quod in communionem populi recipitur, sed detrahitur ei aliquid, quo excludebtur ex communione ea, cui a parentibus Israeliticis natus destinatus erat.

Quae ratio circumcisionis imprimis ad religionem pertinet. Quodsi autem ipsum praeputium circumcidi (non aliud

1) cf. supra p. 14

membrum corporis auferri) iubetur, causa apud P. accuratius non dicitur. Genitalibus purgandis ipsum vitae hominis vigorem et gignendi vim consecrari[1]) contextu nec significatur (cf. Ex. 4, 24 s. J) nec excluditur. Certe circumcidendi mos veterior est quam ea ratio et vis eius, quae apud P maxime respicitur. Homines circumcisione, non alia re aptos fieri, qui in communionem foederis recipiantur, apud P positum est sola in absoluta dei voluntate, qui hunc, non alium ritum fieri iusserit. Proprium illud libri Elohistici: non enumerantur causae, non respiciuntur rationes, quae aliis locis occurrunt, sed iubetur fieri dei voluntatem, cf. p. 18.

Sed ob id ipsum omnes leges et ad mores pertinere videntur. Si nonnisi circumcisione singuli in communionem foederis recipiuntur, necesse est, hoc signo eos etiam admoneri de aliis officiis, quae qui non praestiterit, non potest manere in societate foederis. Admonentur, ut memores sint, etiam Abrahae foedus datum esse eâ condicione, ut ambulet coram deo et sit perfectus (Gen. 17, 1), cf. Smend, Altt. Relgg. p. 332.

Non minus autem signo circumcisionis in memoriam revocabantur promissiones foederis.

Quae omnia minoris momenti sunt, ad nostram rem spectant imprimis haec:

Homo naturâ aptus non est, qui in communionem (populi sancti et) dei recipiatur.

Circumcisio non est sacrificium sed purgatio[2]).

Purgatio illa non est peccatorum morum, nec peccati originalis, quod nullo modo significatur, sed immunditiei naturalis; non tam ad mores pertinet quam ad religionem et cultum.

Quae vis purgandi nititur sola in dei voluntate.

Circumcisio obtemperantiae et fidei in deum est.

Circumcisione et dona et officia foederis omnia in memoriam revocantur.

Apparet circumcisionem quasi fundamentum esse imprimis religionis et pietatis, sed etiam honestatis et probitatis.

---

1) cf. Schultz, Altt. Theol. [5], p. 134 s.

2) Quod firmissimis argumentis probat v. Orelli (Realencykl. [2], II „Beschneidung“ p. 345), contra Ewald, Altt., p. 118 ss., Steiner in Schenkels Bibellexikon I, p. 408; non homo deo rem offert, sed iubente deo aliquid homini detrahitur. Cf. et Naumann, Wellhausens Methode etc., p. 62.

III. Munditiés et sanctitas circumcisione comparata per totam vitam servanda est; (cf. Smend, Altt. Relgg., p. 332). Qua de causa diligenter praecipitur, quibus rebus abstineant Israelitae, ne fiant immundi, et quomodo immunditie contracta lustrandi sint. Lev. cc. 11—15; cf. J. G. Sommer, Bibl. Abhandlungen, Bonn 1846, I. Bd., IV.

Polluuntur homines:

animalibus quibusdam esis, Lev. 11, 1 ss. (tactis Lev. 11, 26);

cadaveribus (Lev. 11, 8. 11. 24 ss. 31. 39 ss.) et hominum corporibus mortuis tactis, Num. 19, 11. 14 ss.; 31, 19: nec non aliis rebus cum morte cohaerentibus;

leprâ, qua et homines et domus polluuntur, Lev. c. 13 s., rebus sexualibus, et naturae hominum propriis, velut concubitu (Lev. c. 12; 15, 18), seminis profluvio Lev. 15, 16 s., et morbis (sanguinis profluvio, aliisque eius generis, Lev. c. 15).

Quibus de praeceptis quae ad rem pertinent, ut recte disputentur, ante omnia animadvertendum est, nullas his legibus rationes adiungi, sed solum iuberi et praecipi. Hominum est obtemperare.

Neque vero ob eam rem minus nobis quaerendum est, possintne ex aliis locis horum praeceptorum rationes ad mores sive religionem pertinentes colligi.

Immunditiei mortis primum diversae a diversis causae enumerantur. Pro certo habendum esse puto, hanc immunditiem apud P non manare ex mortuorum cultu, quod in contextu verborum nullo modo significatur, et a tota Elohistae sententia nimis abhorret[1]). Licet prioribus aetatibus eiusmodi res fuerint impugnandae, vel opiniones vulgares cum eiusmodi superstitionibus commixtae fuerint, quae quidem in V. T. semper et ubique condemnantur, — leges tales, quales sunt apud P, non videntur superstitiones impugnare[2]), (cf. im primis Num. 19). „Der Kampf der Jahvereligion mit dem israelitischen Heidentum“, (Schwally, Das Leben

1) cf. Stade, Gesch. Isr. I, p. 389 Anm. 4; p. 483; Now., Arch. II, p. 298. 300 ss. H. Oort, de doodenvereering bij de Israeliten, Theol. Tijdschr. XV, 1881, p. 350 ss. Schultz, Altt. Theol.[5], p. 364 s. f.

2) Longius hic disputare de mortuorum et animarum cultu non huius loci est. Non agendum est nobis, quomodo hae consuetudines, ritus, opiniones, leges ortae sint, sed quae sit ratio earum, in contextu verborum apparens.

nach dem Tode (Giessen 1892), p. 85, cf. Wildeboer, die Litteratur des A. Test. (Gött. 1895, übers. v. F. Risch), p. 326 Anm.), — iam dudum haec pugna finita videtur. Qui tactis mortuis se contaminaverit, non solum prohibetur, ne deum colat, sed omnis status et condicio eius deo non est accepta. Immundities non est sola „Unfähigkeit, mit dem kultischen Leben in irgend welche Berührung zu kommen“ (Now., Arch. II, p. 298). Hoc apparet et eo, quod apud P omnia peccata, etiam ea, quae ad mores pertinent, ponuntur sub aspectu immunditiei; cf. p. 8. Schmoller, Th. St. u. Krit. 64, 1891, p. 268). Lev. 18, 20. 23 s. 30; 19, 31; Num. 5, 13 s. 20. 27 s.; 35, 34 etc.

Neque solum hominis mortui corpus, sed, sicut diximus, omnia cadavera et quaecunque cum morte (formaque eius, putrore), cohaerent, cf. Köhl. I, p. 346 s. contaminant homines. Haec lex proponitur: et describitur accuratissime, quomodo in singulos casus et condiciones valeat. Sententia est, contaminari homines et res ipsa morte eiusque signis, non superstitiosis de mortuis opinionibus. Contaminatio denique mortuis tactis contracta videtur res per se, non ex superstitionibus, spectanda.

Neque vero solus horror naturalis satis plena ratio videtur esse, qua singulae illae leges omnes explicentur. Certe non plane excludenda est, sed quaerendum est, quae sit causa illius horroris naturalis. An sola corporis mortui foeditas taetraque profluvia (cf. Baud., Stud. II, p. 93 Anm. 1: p. 102)? Sine dubio non casu fit, ut status hominis, quo ex communione dei et ex cultus sanctique populi societate, excluditur, dicatur immunditiei status, quae notio primum sensibus percipitur. Sed quamvis varie a variis haec res explicetur, cf. Stade, Gesch. Isr., Bd. I, p. 481, apud P haec significatio principalis sensibus percepta parum respicitur. Mundities et immundities ante omnia ad religionem pertinere videntur, non ad sensus. Et curnam homines non „contaminantur“ etiam alius generis immunditie velut excrementorum etc.? (cf. Dillmann, Ex. u. Lev., p. 479, contra Knobel.)

Facile mihi quidem videtur demonstrari posse, etiam ex sententia P mortem esse poenam peccati[1]). Nonne longa

---

1) cf. Schultz, Altt. Theol.[5], p 548; Oehler, Altt. Theol.[2], p. 255 s., 264 s. Dillm., Altt. Theol., pag. 387 (Sommer, o. c. p. 202 ss.).

aetas praemium videtur pietatis? Patres dicuntur mortui esse vitae pertaesi (Gen. 25, 8. 17); Henoch, qua erat pietate, mortem effugit[1]: subita morte a deo homines scelerati velut Kora sive homines aetatis antediluvianae puniuntur.

Atque etiamsi historia praevaricationis Adae non est Elohistae, tamen et apud eum dicunt filiae Zelophchad (Num. 27, 3): „pater noster בְּחֶטְאוֹ מֵת, (quamquam non erat cum Kora)“, i. e. naturae lex, cui omnes obnoxii sunt, nititur in omnium hominum improbitate et impietate.

Haec ratio immunditiei mortis, (scilicet mortem profectam esse ex peccato), videtur mihi totius libri Elohistici sententiae optime convenire (cf. Köhl. I, l. c.); inde sequitur ad extremum horror ille naturalis, qui a lege non impugnatur, sed sancitur. Mors non est lex naturae conveniens, sed morte natura corrumpitur, in contrarium sui convertitur; abhorret natura hominis, qualis a deo creata est, a corruptione mortis. Videbimus et alia exempla, quibus demonstratur, omnia, quibus natura corrumpitur, quaeque ob eam causam homini infesta sunt, et deo infesta videri, cum natura a deo creata sancta sit.

Sed animum attendas, quaeso, morte contaminari homines, non quia natura hominis a morte abhorreat, sed quia deus sic voluerit. Non abhorret deus a rebus, quae ipsi hominis naturae infestae videntur, et quia infestae videntur, sed homo ea abominari debet, a quibus deus abhorret. Loqui me ex sententia P, consentaneum est.

IV. Idem valet et de aliis rebus, quibus immundities contrahitur. L e p r a m o r b u s est gravissimus, scabies foedissima, qua qui affecti sunt, vivi putrescunt et mortui videntur fere magis, quam morituri[2]. De s e x u a l i b u s p r o f l u v i i s[3]) optime mihi videtur disputare Dillm., Ex. u.

---

1) Vim huius argumenti negat Matthes, Theol. Tijdschr., XXIV, 1890 (Oorsprung en gevolgen der zonde volgens het O. T.), p. 244. „de dood een naturlijk gevolg van's menschen stoffelijk wezen“ (cf. p. 243. 254). Universa autem historia Elohistica demonstratur, mortem revera naturae hominis (et creaturae cuiusvis) non convenire.

2) de lepra cf. Sommer, o. c. p. 214 ss.; Dillm., Ex u. Lev., p. 479; Altt. Theol., p. 442; Smend, Altt. Rlgg., p. 329. Benzinger, Arch., p. 481 s.; Now., Arch. II, p. 299.

3) cf. Schultz, Altt. Theol. [5], p. 362; Smend, Altt. Relgg., p. 328. 329 Anm. 1, quo loco autem non firmantur argumentis, quae probantur, sententiae.

Lev., p. 478 ss. His praeceptis non initium et finem vitae componi, „als die beiden das endliche Sein begrenzenden, bedingenden und in sich zusammenfassenden Pole“ (Bähr), hodie non iam argumentis probandum est, cf. Keil, Lev., p. 85; Now., Arch. II, p. 295; F. E. König, Realenc.[2] XII, p. 625 s. De singulis praeceptis agere non est nostrum, sed disputantium de antiquitatibus populi Israel. Apparet, omnes res sexuales vario modo ad pudorem, honestatem moresque universos pertinere, (cf. Dillm., l. c., praeterea Altt. Theol., p. 441 s.).

Animalia vetantur Israelitae edere omnia ea, quae et ipsa animalibus vescuntur sive cadaveribus, quaeque cadaveribus irrepunt, vel alio modo corpora mortua tangunt. cf. Lev. 11, 13 ss. 29 s., deinde, quae ipsâ formâ suâ foeda videntur, (lacertarum varia genera (Lev. 11, 30), tum ea, „in denen das Wesen der Gattung sich nicht ordentlich ausprägt“ (Schultz, Altt. Theol.[5], p. 368). Sed non potest omnium singulorum praeceptorum ratio perspicua dici, (cf. Schultz, ibd. Anm. 1), cum variae res et consuetudines ad has leges contribuisse videantur. Utique legibus illis, quales occurrunt Lev. 11, non iam animalium cultus, („Totemismus“), impugnatur, quod et a forma et a rebus ipsis abhorrere videtur[1]), cf. Lev. 11, 4 s, quo loco regula quaedam generalis proponitur, qua de singulis animalibus iudicetur; cf. Sommer, o. c. p. 250 ss. v. Orelli, Realencykl.[2] XIV, p. 497.

Quibus rebus omnibus collatis licet variae rationes ad constituendas has leges contribuerint, velut horror et pudor hominis naturae innatus, veteres consuetudines, reliquiae superstitionum prioribus aetatibus impugnatarum, tamen apparet, has rationes ad cognoscendam ipsius Elohistae sententiam levioris momenti esse. Videntur omnes quasi absorberi et deleri una illa ratione ad religionem pertinente, qua fere omnia aspiciuntur: naturam a deo bonam creatam morte corrumpi, quo includitur, mortem esse rem dei creatoris voluntati infestam[2]). Proponitur quasi lex et norma

---

1) Quod, quo quis noviores putaverit esse has leges, eo clarius sit. Neque vero ullo modo contextui convenit

2) Hanc ipsam Elohistae sententiam esse, mihi vel ex historia creationis mundi cum restitutione post diluvium (Gen. c. 1 et 9) comparata apparere videtur, cf. infra Cap. XVI, I. Deus, quantum potest, mortem in creato a se mundo fieri vetat.

universalis: mors, et quaecunque mortis sunt, deo abominabilia sunt; omniaque praecepta singula, quae in varios casus et condiciones valent, huic legi consentanea videntur eamque sequuntur. Sed valent, quae diximus: nec haec nec alia ulla ratio claris verbis expressa singulis praeceptis adiungitur; (de Lev. 11, 44 s., cf. supra p. 7 ss.).

V. Quo recte de his legibus iudicetur, haec fere respicienda mihi videntur.

Per se non vituperandum est, praecepta dari ad vitam corporis pertinentia. Subest enim sententia rectissima, corpus et animum hominis ita inter se coniuncta et connexa esse, ut corruptione huius corrumpatur et altera pars.

Deinde recte putatur, morte corrumpi naturam a deo creatam, mors re vera naturae universae, qualem deus eam voluit, adversa quaedam et infesta res est.

Etiam aliis legibus velut de immunditie sexuali praescribentibus subest ratio (ad mores pertinens, cf. supra IV) verecundiae et honestatis cuiusdam.

Sed ne nimis laudare videamur, quae revelatione N. Test. improbantur, (cf. Bestmann, Gesch. der chr. Sitte I, p. 294 s.), et haec dicenda et urguenda esse putamus.

Primum: Hae rationes ad mores pertinentes non ubique apparent, quo fit, ut multa praecepta videantur ex libidine data.

Deinde quamvis arte corpus et animus hominis coniuncta et connexa sint, tamen, quae honestatis sunt, non pertinent ad naturam, sed ad liberum personae arbitrium. Natura etsi morte corrupta, non per se deo infesta et abominabilis est, peccatum ipsum non est macula, sed perversum studium deo inimicum: (cf. quae praescribantur de lepra domorum). Ubi non arbitrium, ibi etsi malum corruptionis, sed non ipsum peccatum. Virtus liberi hominis arbitrii, quo singulae res demum sive honestae sive turpes fiunt, nondum satis e connexu naturae, cuius res solum sive bonae sive malae sunt, extollitur et liberatur.

Tum, quae his legibus praecipiuntur, non harum rationum ad mores pertinentium causa praecipiuntur. Nunquam dicitur, hanc munditiem corporis intelligendam esse imaginem munditiei animorum et voluntatis. Potuerunt sane haec praecepta hoc modo intelligi, sed longe abest a veritate, qui crediderit, legem velle nil nisi symbola munditiei corporum; contra ipsa mundities corporis ante omnia servanda est.

Maxime autem agitur de munditie, qua opus est, ut populus cum deo communionem habere possit, sive, quod idem est, sanctus sit. Praecipue deus non colendus est sacrificiis nisi a mundis. Quo apparet, haec praecepta de munditie corporum imprimis religionis et cultus causa dari. Hoc probatur et eo, quod contracta immundities saepissime solis sacrificiis expiatoriis deo oblatis auferri potest, (cf. Lev. 12, 6 s.; 8; c. 14; 15, 14 ss. 29 ss.; cf. Num. 19).

Ad mores igitur haec praecepta re vera pertinent solum, quia dei praecepta sunt, cf. Cap. V, III. Oboedire et deo dicto audientem esse iubetur populus, (cf. Stade, Gesch. Isr. II, p. 265; H. Schultz, Theol. Stud. u. Krit., 63. 1890, I, p. 41). Vult deus, populum hoc modo mundum se servare, quamobrem assuescat, et his legibus servatis deo oboedire. Quicunque ultro in statu immunditiei permanserit[1]), gravissima poena afficiendus est, cf. Num. 19, 13. Lev. 17, 16.

VI. Quaecunque igitur ex communione cum deo excludunt, ea et populus a se excludere debet. Sed non solum hoc modo mundum sese praebeat, ut possit in communione cum deo esse, sed etiam ostendat, uti et frui se consuetudine dei, quod fit variis institutionibus cultus. „Reinheit ist Voraussetzung für Heiligkeit“, Baud., o. c. p. 9. 17. 24 s. 45 s. 64. 74. 90 s. etc. — De hac sanctitate populi caeremoniis cultuque, (sensu latissimo dicto), efficienda et depingenda iam agemus.

Praemittimus haec:

Cum hoc loco non agendum sit nobis de antiquitatibus populi Israel neque de opinionibus religiosis vel fide eius, variae res, de quibus ab aliis fusius disputatur, hic paucis absolvendae vel omnino omittendae sunt. Quo accuratius investigandum est, an sit et quae sit ratio et vis illarum institutionem et rituum ad mores pertinens. Sed non nisi quae aut contextu ipso perspicue significantur aut comparatis aliis locis ad rem spectantibus apparent, hoc loco

---

1) Quodsi lege via datur, qua immunditics purgetur, apparet, sententiam esse, quasdam contaminationes non plane vitari posse. Sed non sequitur, quod probat Kuenen, Volksrel. u. Weltr., p. 182 „wer die Mühe der Reinigung auf sich nehmen will, darf das Verbot ruhig übertreten“. Hoc abhorret ab universa legis sententia, nihil magis appetentis, quam ut purus maneat populus.

tractanda sunt, non quae a nonnullis aliunde subintroducuntur rationes imaginum[1]).

Cap. VI.
De sanctitate loci.

I. Inter omnes constat sacris legis institutionibus sanctitatem populi, sive communionem dei cum populo effici, effectam depingi, ruptam et violatam restitui. Ut fiat haec communio dei cum populo, ante omnia deus domicilium sibi parat in medio populo (Ex. 25—27; c. 35 ss.), quo consecrantur tota castra, i. e. locus, quo versatur populus Israel. Sequitur, ut, praeterquam quod omnes immundi e castris excluduntur (Num. 5, 1 ss.), ipsa castrorum dispositione sanctitas populi quasi illustretur (Num. c. 2). Populi tribus duodecim orbem facientes circumdant sanctuarium, quod cingitur breviore orbe Levitarum. Ipsius sanctuarii dispositio tripartita ascendit ex aula in sanctum, ex sancto in sanctum sanctorum crescente magis magisque materiarum et supellectilium praestantia et pretiositate. Quae quidem luce clariora. Quaerendum est, quaenam admoneatur populus rebus hoc modo constitutis.

Sine dubio tabernaculum testimonii (אֹהֶל הָעֵדֻת Num. 9, 15; 17, 22; אֹהֶל מוֹעֵד Ex. 29, 42; Num. 7, 89; 17, 19 ps; מִשְׁכַּן הָעֵדֻת Ex. 38, 21; Num. 1, 53; הַמִּשְׁכָּן Ex. 36, 8. 13. 14; 38, 21; 39, 33 ps.; מִשְׁכַּן אֹהֶל מוֹעֵד Ex. 39, 32; 40, 2 etc.), populo non solum sit pignori, quo credat, habitare deum re vera in medio suo, neque hoc modo solus sacrificandi locus constituitur, sed castris ita dispositis, ut omnia in tabernaculum in orbis medio situm spectent, significatur, proprium populi propositum esse, ut colat deum, qui domicilium habet in medio populo. Religionis causa igitur haec omnia ita disponuntur. Locus, quo versatur Israel, non est ipsius populi, sed populi, ut qui deo vivere, in omnibus rebus dei rationem habere, totus in deum conversus esse debet. Ipsum donum gratuitae dei in populo praesentiae sequitur, ut populus totum se dedat deo. Apparet hanc rationem ad pietatem pertinentem in loco non facile alio modo, ac hic fit, exprimi posse.

---

1) Cf. quae disputet C. W. F. Bähr, Symbolik des Mosaischen Cultus² I (Heidelberg 1874), p. 21 ss. 90 s.

Quamquam autem hoc modo populus artissime cum deo coniungitur et in deum dirigitur, tamen nihilo minus acerrime interdicitur, ne quis sua sponte propius ad deum accedat; sacra et profana diligentissime separantur et seiunguntur (cf. Now., Arch. II, p. 53). Docetur populus, quantum distet sanctitas dei (rerumque, quae sibi sanxit, a populo profano; et gravitas praecepti illius, estote (mihi) sancti, cf. p. 15, demonstratur [1]). Ipso eo, quod deus habitat medio in populo, admonetur Israel, ut memor sit, qualem noverit Jehovam esse deum, deum scilicet, qui, qua est sanctitate, abhorret ab omni immunditie et impietate et improbitate. Deus cum populo coniunctus et a populo separatus est: „ein naher Gott, und doch unnahbar .....“ (Riggenbach, in Realencykl.^{2} „Stiftshütte“, Bd. XIV, p. 724). Israel est populus dei, ob id ipsum eo magis sanctum se praestare debet. Quo deo propior est, eo graviora a populo postulantur. Apparet eandem esse sententiam prophetarum.

II. In tabernaculo ipso dei sedes est operculum arcae continentis tabulas legis (עדות lex, quae sollemniter a deo revelata et proclamata simul monumentum est, quo firmatur, revera deum populum Israel sibi elegisse); cf. Bähr, Symbolik des Mos. Cultus^{2} I, p. 139 s. 460 s.; Dillmann, Ex. u. Lev., p. 280; Ex. 25, 16. 22; 30, 6. 36; Num. 7, 89. Dubium non est, quin hoc modo significetur, deum in medio populo non habitare nisi, ut lex populo data servetur, et populum non posse deum in medio suo habere, nisi et legem eius impleverit [2]).

Omnes aliae explicationes et disputationes, quibus singulae tabernaculi materiae (lignum, aes, argentum, aurum, cf. Bähr^{2}, l. c. p. 302 ss.), colores (ib. p. 337 ss.), supellectiles (ib. p. 459 ss., 505 ss., 587 ss.), vario modo a variis (cf. Now., Arch. II, p. 66 s., Dillm., Ex. u. Lev., p. 266 ss.; Ew., Altt., p. 431, Anm. 1; Riggenbach, Realencykl.^{2} XIV, p. 725; Köhl. I, p. 370 ss. etc.) imagines intelliguntur variarum rerum, non sunt huius loci. Accedit, quod ex parte quidem a re ipsa longe absunt et non recte contextui subiiciuntur, cf. quae a Dillm. l. c.; Now. l. c. enumerantur

---

1) Cf. Kuenen, Godsdienst II, p. 76. 163 s.
2) Cf. v. Hofmann, Weiss. u. Erf. I, p. 142 s.; Schultz, Altt. Theol.^{5}, p. 246; A. Klostermann, Geschichte des Volkes Israel, (München 1896), p. 89.

interpretationes inde a Josepho et Philone usque ad Bähr, Neumann [1]), Friedrich [2]) etc. editae. Etiam, quae a Köhl. I, p. 371 et 372, mensae et candelabri proferuntur rationes ad mores pertinentes, quamvis per se rectae sint, hoc loco contextu verborum non significantur. De mensa et panibus propositionis infra disputandum erit. Si candelabrum imago populi esset, non septem, sed duodecim essent lucernae eius, cf. panes propositionis. Sed utcunque res se habet, non tabernaculum ipsum, sed tabernaculum in mediis castris constitutum dei domicilium, cf. Ex. 29, 44 ss., hoc loco respiciendum est.

Concedendum est communionem dei hominumque non re vera effici tabernaculo visibili deo invisibili exstructo; sed communio dei cum populo prior est tabernaculo constituto, et latius patet quam in locum. Tabernaculo solum convenienter illa communio dei populique exprimitur.

Et praeterquam quod non convenit, deum aeternum immensum omnipraesentem, qualis etiam apud P creditur, habitare certo uno loco (magis quam alibi), de qua re nobis hic disputandum non est, cf. Diestel in Schenkels Bibllxkn. V, p. 411 s., (Stade, Gesch. Isr. II, p. 217. 245), non potest negari virtutem religionis populi Israel propriam non contineri eo, quod lege vetatur, quemquam ad tabernaculum dei propius accedere. Sed quaerendum est, qua de causa haec praescribantur. Reducimur igitur ad ea, quae supra de sanctitate dei disputavimus, cf. p. 9. Si inter deum et homines non esset discrimen nisi creatoris et creaturae, omnipotentiae et debilitatis, tabernaculum testimonii non multum differret a sanctuariis aliarum gentium. Cum autem deus homines a se excludat, non qui sint homines, sed qui sint peccatores (cf. p. 11), cumque nihilo minus populum Israel secum coniungi et sibi operam dare velit, manifestum est, tabernaculum, quamquam forma simile videtur, hac ratione ad religionem moresque pertinente multo praestare sanctuariis aliarum gentium.

Deo in tabernaculo habitante tota castra consecrantur. Etsi igitur tabernaculum a populo dei domicilium exstruitur,

---

1) W. Neumann, Die Stiftshütte in Bild und Wort, gezeichnet). (Goth. Perthes, 1861; cf. Monatsschrift f. Gesch. u. Wiss. des Judenthums, XI, 1862, p. 238 ss.)
2) (F. Friedrich, Symbolik der Mos. Stiftshütte, 1841.)

tamen sanctitas loci, quo versatur populus, non oritur a populo, sed a deo, cf. Ex. 29, 44 ss. Ratio rerum consecrandarum semper eadem est: consecrata parte omnia consecrantur (cf. Kautzsch, Die hl. Schrift des AT., Freib. i./B. u. Leipz. 1894, Beilg., p. 190). Sed cum aliis locis deus partem pro toto exigat, hic gratuita dei praesentia, qua in parte omnia consecrantur, imprimis donum[1]) populo datum videtur, cf. Ex. 29, 45 (Lev. 9, 23 24).

Cap. VII.

De sanctitate personarum.

(stricte dicta.)

Eadem fere, quae de sanctitate loci, quo versatur populus, dicenda sunt, valent et de sanctitate personarum.

Sanctitas, qua ponitur mundities, hoc loco sensu strictiore intelligitur ratio, qua singuli homines deo dedicantur, cum deo iure possessionis coniunguntur, sive alio modo prae ceteris in dei communionem vocati a profano mundo separantur. („Verhältnisbegriff", cf. p. 7; Baud., o. c. p. 61 ss. etc.)

I. Apparet, primum populum Israel universum prae ceteris gentibus deo sanctum esse: solum hunc populum deus sibi redimit et eligit, quocum communionem habeat, cf. quae disputavimus de foedere; Cap. IV, VIII, s. f. Atque etiamsi locus ille classicus Ex. 19, 6 non est Elohistae, tamen non opus est, ut probetur, sententiam libri Elohistici eandem esse. Israel est populus Jehovae, sive, quod idem est, Jehovae sanctus, cf. Lev. 20, 26: Num. 15, 40 etc., sive dei possessio. Convenit, apud P populum Israel appellari קהל sive עדה, „*ἐκκλησία*" Jehovae; cf. Schultz[5], p. 316.

Vario modo autem lege exprimitur, non solum populum universum, sed et omnes singulos deo sanctos esse[2]).

Primum omnes primogeniti deo dedicandi sunt et exsolvendi (Ex. 13, 1 [v. 14 D?]; Num. 3, 13 ss.; 8, 15 ss.). Causa dicitur fuisse, quod deus necatis Aegyptorum primo-

---

1) Idem ex parte valet de sacerdotio; cf. Cap. VII, IV, s. f.; V, s. f.

2) Idem ponitur legibus de servis Israeliticis benigne tractandis (Lev. 25, 42. 55), cf. Cap. XIII, VII, et eadem haud scio an ratio sit praecepti de pretio capitis occasione census dando, Ex. 30, 11 ss.; cf. Cap. X, V, Adn.

genitis populum sibi redemerit. Ipsa autem ratio est, consecrata prima parte totam rem consecrari. Potuit deus primogenitos sibi vindicare, etiamsi alio modo populum sibi redemisset.

Deinde totus Levitarum tribus deo dedicatur loco primogenitorum totius populi. Quo praecepto non abrogatur lex supra dicta (cf. Dillmann, Num. p. 17).

Nam neque omnes primogeniti iam exsolutae erant, et cum ceteri confestim exiguo pretio (Num. 18, 16) rediмantur, Levitae per totam vitam compensare debent, quae hoc modo deo detrahuntur. Dedicantur autem Levitae ritu quodam sacrificali, (תְּנוּפָה ventilatio, cf. Dillm. zu Num. 8, 11, p. 43; contra Wellh., Comp. des Hex., p. 179 (Skizz. und Vorarb., Heft II), quo significatur, deo dari partem pro toto, sive, quo accuratius dicamus, totum in parte.

Quae omnia unam eandemque rationem foederis dei cum populo constituti necessario quodam modo sequuntur. Populum autem universum et singulos dei esse et cum deo coniunctos esse debere, totius V. T. una est sententia. Sed apparet, apud P rectam illam rationem magis institutionibus variis et praeceptis in singulos casus valentibus depingi et monstrari, quam ipsam rem respici. Nunquam aperte dicitur, dei magis interesse, ut homines toto animo se dedant deo, neque dicitur, illas institutiones et ritus imagines esse, non ipsam rem; contra sententia est, praeceptis illis servatis revera communionem populi cum deo fieri, re vera hoc modo populum sanctum fieri. Vice versa animum intendas, quaeso, hos ritus non per se efficaces esse, sed solum, quia deus hoc fieri voluerit, quo omnia sub aspectu obtemperantiae ponuntur, et intellecta vera dei natura facile et intelligi potuisse rationem veram illarum institutionum ad pietatem ipsam pertinere.

Levitae etsi non sunt sacerdotes gradu inferiores (c. Ew., Altt., p. 373, cf. Now., Arch. II, p. 109), tamen medii consistunt inter populum et sacerdotes (cf. Köhler 1, p. 376; v. Baudissin, Gesch. des altt. Priesterth. (Leipzig 1889), p. 28 s., 34 s.) et modo cum sacerdotibus coniuncti a populo separantur, cf. Num. c. 3; c. 18; modo cum populo coniuncti a sacerdotibus separantur (Num. c. 4; c. 16).

II. Per sacerdotes, imprimis per pontificem maximum, sanctae civitatis forma et temperatio, qua populus dei ecclesia (= קָהָל sive עֵדָה) fit, constituitur. Dispositio graduum

sacerdotalium sanctuarii et castrorum dispositioni simillima ascendit ex profano populo per levitas in sacerdotes et sanctissimam pontificis maximi personam. Rebus hoc modo compositis et populi sanctitas comparatur, et proprium eius propositum, cf. p. 16 ss., significatur et demonstratur.

Cum igitur Levitae a populo deo iubente quasi donum offerantur, quod a deo gratia acceptum toti populo saluti et tegumento est, sacerdotium praecipue, (cf. p. 32), donum est Aaroni posterisque eius a deo datum, Num. 18, 7. Non minus autem donum est toti populo datum, cum populus, etsi a deo electus, tamen propter peccata et immundities varias, non omnis semper deo appropinquare possit; cf. Köhl. I., p. 375, et infra p. 36.

Sunt ergo haec fere animadvertenda: Sacerdotium primum videtur liberum gratiae dei beneficium et ius praecipuum populi electi, qui solus per intercessionem illam a deo constitutam cum deo consuetudinem habere potest, cf. Oehl., Altt. Theol.[2], p. 308.

Sacerdotium nullo modo operando acquiritur, (soli Pinehasi traditur sacerdotium firmatum et sancitum esse, quia sanctitate populi fortiter defensa et vindicata iram dei expiaverat, Num. 25, 6 ss.), nec (apud P) respicitur, Levitarum tribum singulare donum sibi meruis se et comparasse, sed haec omnia a deo absolute simplici decreto suo donantur: curnam deus Levitas, non alium tribum, familiam Aaronis, non aliam elegerit, (qua de re aliis locis, cf. Ex. 32 (E); Deut. 33, 9 quaedam significantur), nullo modo declaratur.

III. Ultro demum dato dono deus postulat quaedam ab eis, quibus propius quam ceteris ad ipsum accedere licet. Ad nostram rem haec fere spectare videntur.

Primum quae postulatur corporis munditics, partim eadem ac omnium, partim, imprimis pontificis maximi, maior quam ceterorum videtur; cf. Baud., Gesch. des altt. Priesterth., p. 37 ss.; Now., Arch. II., p. 115 ss.

Sicut omnibus Israelitis, ita et sacerdotibus praecipitur, ne edant carnem cadaverum sive dilacerata, (Lev. 22, 8; cf. Lev. 17, 15), ne corpus incidant, (cf. Lev. 21, 5 et 19, 28), ne marginem barbae detondant, (Lev. 21, 5 et 19, 27). Consentaneum est, et omnia alia praecepta de corporis munditie in sacerdotes quoque valere. Praeterea praecipitur, ne sacerdotes calvitium sibi tondant (Lev. 21, 5), ne mortuis se immundent, (neque propinquis quidem velut patre et

matre mortuis pontifex se maculet[1]), Lev, 21, 1. 11), ne in matrimonium ducant scortum, (debilitatam), stupratam, a marito dimissam Lev. 21, 7; pontifex ne viduam quidem, sed solam virginem ex populo Israel oriundam in matrimonium ducat, Lev. 21, 13 s.

Deinde quo munere sacerdotali fungantur sacerdotes, accuratiora quaedam praecepta dantur:

Lev. 22, 3 ss. Ne quis impurus ministerio fungatur, neque sanctas res oblatas edat.

Ex. 30, 19 s.; 40, 31 s.: Priusquam deo appropinquetur, manus pedesque lavandi, (cf. Bähr, Symbolik des Mos. Cult.[2] I, p. 599); item

Lev. 10, 8 s.: Ne vinum bibant sacerdotes intraturi in tabernaculum[2]), cf. infra p. 38 s.; Köhl. I., p. 378.

A sacerdotio excluditur, quicunque naturâ corporis maculâ affectus est, Lev. 21, 17 ss. Levitis non dantur propria munditiei praecepta.

Cum nobis hoc loco non disputandum sit, quaenam consuetudines variique generis rationes concurrerint ad constituendas leges, quibus omnia sub aspectu obtemperantiae deo praestandae ponuntur, cumque de corporis munditie et immunditie universa supra egerimus, adiungatur solum, ubi omnino corpora munda esse iubentur, necesse esse, a sacerdotibus postuletur, ut peculiarem praestent puritatem[3]). Donec singuli quidam putantur deo propiores esse quam ceteri, maiora ab illis exigi solent. Quo sacerdotes deo propiores, eo magis abstinere debent quavis re deo abominabili. Sed operae pretium est animadvertere a sacerdotibus non maiorem morum integritatem postulari quam a toto populo. Una lege (Lev. 21, 9) iubente, filiam sacerdotis scortatam comburi, quo poena capitis severior fiat, significatur, eiusmodi peccata in familiis sacerdotum commissa graviora esse visa. Sed nunquam permittitur, ut mores profani populi minus integri et perfecti sint quam sacerdotum.

---

1) Pontifex maximus vetatur quoque capillos solvere et vestes scindere; de ratione harum consuetudinum ipsa infra disputandum erit.

2) Quae Ew., Altt., p. 118. 372 probat de origine huius praecepti, ipse revocat, Lehre v. Gott IV., p. 157 Anm. 3, sub fine; de ratione huius praecepti, et sacerdotibus et Nasiraeis pariter dati v. i. p. 38 s.

3) cf. Bestmann, o. c. p. 306 s.; Sommer, Bibl. Abhandl., p. 209.

IV. Munera sacerdotum (cf. Ew., Altt., p. 362 ss.: Baudissin, o. c. p. 22 ss.; Now., Arch. II., p. 107 ss.; Köhl. I., p. 382 s. etc.) fere omnia ad cultum et imprimis ad sacrificia spectant. Benedicere populo Num. 6, 22 ss., sanctis tubis canere Num. 10, 8 ss.: 31, 6, leprosos inquirere (Lev. cc. 13 et 14), sanctas res oblatas aestimare (Lev. 27), alia eius generis omnia cum cultu et religione cohaerent. Etiam, quae iubentur sacerdotes Lev. 10, 11, praecipue ad religionem pertinere videntur, cf. Baud., o. c. p. 24; Now., Arch. II., p. 109, quamquam, cum iubeantur populum docere omnes leges per Mosen a Jehova praescriptas, et aliae res ad cultum non pertinentes certe non excludendae sunt.

Per sacerdotes igitur ante omnia semper potestas consuetudinis populi cum deo fit, et communio dei cum populo de novo semper constituitur et servatur. Sacerdotium ipsum una cum Levitis populo tegumento est, ne irâ dei deleatur, cf. Num. 17, 27 et 18, 1 ss.; pontifex maximus, qua est sanctitate, vitia donorum sanctorum suscipit et exstinguit, Ex. 28, 38, cf. Dillm., Ex. u. Lev., p. 310 contra Schmoller, Th. Stud. u. Krit. 63, 1891, p. 232 Anm. 2 [1]); sacerdotes expiant peccata singulorum sacrificiis oblatis, Lev. c. 4 ss.; pontifex maximus quotannis totum populum expiat, Lev. c. 16.

A sacerdotibus igitur maxime exigitur, ut obtemperent et dicto audientes sint deo. Accuratissime officia, quae ad cultum pertinent, enumerantur, neque ullum conceditur gravitatis horum officiorum discrimen, quia omnia pariter a deo praecipiuntur. Et claris verbis admonentur sacerdotes, ne neglectis officiis suis culpam sibi contrahant (Num. 18, 1 b), cf. Lev. 10, 3. Contra qua animorum affectione haec officia a sacerdotibus praestanda sint, non respicitur. Occasione oblata Aaron etiam extra legitimum sacerdotii officium pro populo intercedit, cf. Num. 17, 12 ss. et Pinehas laudatur, quia dei ius in Israel fortiter vindicaverit Num. 25, 10 ss., sed verus auctor intercessionis Num. 17, 12 ss. narratae Moses est, qui et aliis locis pro populo orat, cf. Num. 14, 11 ss. (R); 16, 22 (unâ cum Aarone).

1) Alia sunt, quae praescribuntur sacerdotibus Num. 18, 1 s. 23, cf. Dillm., Num., p. 99; Schmoller, l. c.; contra Keil, Num., p. 262.

Videmus ergo, sententiam esse ipsa sacerdotii institutione, qualem deus fieri vult, praestari populo ea, quae ad intercessionem sacerdotalem pertinent. Vis et virtus institutionis sola ex dei voluntate oritur. Sacerdotium esse necesse est, quo populus cum deo consuetudinem habeat, et peccata expientur, sed solum quia deus hac via secum usum habere populum voluit. Institutiones imagines esse, quibus sacerdotes admoneantur de recta sacerdotis animi affectione, (cf. v. Orelli, Realenc.[2] XII., p. 216), apud P quidem non aperte dicitur. Elohistae multo magis interest, ipsius institutionis sacerdotii vim monstrare, quo et demonstratur, sola ex dei gratia manare illam sacerdotii virtutem, et deo dicto audientes esse sacerdotum et populi summum esse officium.

V. De vestimentis et ornatu sacerdotali fere eadem valent, quae supra de supellectilibus tabernaculi disputavimus, (cf. p. 30 s.). Licet a nonnullis singulis coloribus rationes (ex parte et ad mores pertinentes) subiiciantur, cf. instar omnium: Bähr, Symbolik des Mos. Kultus [2]I., p. 340 ss.[1]), contra quem disputat Dillmann, Ex. u. Lev., p. 267; Now., Arch. II., p. 67), tamen contextu nihil significante certius quidquam definiri non potest. Etsi verisimile videtur esse, alba veste puritatem significari, tamen ceteri colores vario modo a variis explicantur. Quodsi aureo diademati pontificis inscribuntur verba, quibus sanctitas ipsius et populi significatur, apparet rationem esse, in pontifice maximo, qui et nomina duodecim tribuum gemmis insculpta in humeris et pectore[2]) prae se fert, quasi totum populum deo appropinquare et cum deo coniunctum esse. De sacerdotum et levitarum dotatione, quae continetur verbis יהוה נחלתו, alio loco disputandum erit, cum deus iis parte maxima donorum sibi oblatorum cedat. Accipiunt sacerdotes, quae deo oblata sunt, de rebus autem deo offerendis infra agemus. Quae de ritu initiationis et consecrationis sacerdotum praescribuntur, non omnia huc spectant. Manifestum est sententiam esse, hominem naturâ non aptum esse, qui deo appropinquet, imprimis qui artissimam communionem cum deo ineat.

---

1) cf. Delitzsch, in Zeitschr. f. kirchl. Wsschft. u. k. Leben I., 1880, p. 228.

2) cf. Schultz, Altt. Theol.[5], p. 242, „in Geduld u. Liebe"; F. Delitzsch, l. c. p. 232; [Ewald, Altt., p. 394].

Qua de causa Aaron et filii eius purgantur et expiantur, (Ex. 29, 4. 11 ss.; Lev. 8, 6. 14 ss.), priusquam consecrentur. Consecrantur variis ritibus, quorum ratio facile comprehenditur. Et sanguine et oleo enim res consecrantur et deo dedicantur, sanguine imprimis expiante, oleo praecipue ad certum illud munus fungendum instruente. Totam sacerdotis personam sanctam esse debere, monstratur illinendâ sanguine auriculâ dexterâ, pollice manus dexterae, pollice pedis dexteri. De singulis rebus cum ab eis agatur, qui de antiquitatibus populi Israel disputant, cf. Now. Arch. II., p. 121, Orelli, l. c. p. 218; Baudissin, o. c. p. 25; Ew. Altt., p. 369 s., hoc loco imprimis animadvertendum esse nobis videtur, quamvis recta subsit illis ritibus ratio ad mores religionemque pertinens, tamen maioris momenti esse, ut, quaecunque praescribuntur, accuratissime impleantur, quam ut illa ratio intelligatur et respiciatur.

Apparet ipsum sacerdotium plurimum valere, ut efficiatur, quod populo propositum est, sc. ut sanctus sit deo. Quantum distet populus a deo, non minus hac institutione ostenditur, quam monstratur, unum illum populum a deo in communionem suam vocatum esse. Sicut sola dei gratia a deo sacerdotium institutum est, et solam per dei voluntatem vim habet, ita et a populo sacerdotibusque exigitur, ut etiam in rebus minimis plenam praestent oboedientiam. Concedendum est, periculum esse, ne ex oboedientia fiat opus operatum, praesertim cum affectiones animi rarius respiciantur, omniaque praecepta singula, quamvis gravitate inter se differant, eodem loco haberi videantur.

Etiam ante et extra sacerdotium lege constitutum singulos cum deo usum habere posse, apparebit infra.

VI. Appendix.

De nasiraeatu hoc loco agendum esse videtur, quia et nasiraei, qua sunt sanctitate (Num. 6, 5. 8), ad constituendam sanctitatem populi contribuunt. Constat, hac lege veteres consuetudines sanciri, cf. Köhl. I., p. 422; Dillmann, Num., p. 31, ipsam autem rationem et finem huius voti non aperte dici. Eodem modo et singulorum praeceptorum quae sit ratio, non significatur.

Vetus consuetudo exempli causa sancitur, cum vetentur nasiraei capillos detondere, quo significatur, totum vitae vigorem deo consecrari[1]); item vetus consuetudo videtur,

1) cf. v. Orelli, Realencykl.², X. Bd., p. 429, [aliter Baum-

quaecunque eius ratio fuit, (cf. Dillm., Num., p. 33 s.; Now. II., p. 137; (Ew., Altt., p. 113 ss.), nasiraeos abstinere vino, et omnibus rebus, quae a vite proferuntur et ex frugibus eius parantur. Apparet rationem huius praecepti aliam esse, ac si sacerdotes vetantur vinum bibere deo appropinquaturi, Lev. 10, 11; sicut aliud est, aliquid omnino vetare, aliud in certam causam interdicere. Consentaneum est, vino graves non posse munere sacerdotali coram deo recte fungi, nasiraei autem omnino abstinere debent, non solum vino et musto, quo ebrietas fit, sed et rebus aliis quibusdam, de quibus hoc nullo modo dici potest, cf. Num. 6, 4[b]; Dillm., Num., l. c.

Cum autem apud P nulla inveniantur vestigia, quibus perspicue demonstretur, „dass der Weinstock . . . . als das Hauptzeichen, der höheren, die Naturkraft und die Sittenreinheit schädigenden Kultur galt," Dillm., l. c., p. 33 s. (cf. id. in Schenkels Bibelln. IV., 289; Ewald, Altt., p. 114 Anm. 1), neque e contextu verborum probari possit, abstinentiam illarum omnium rerum imaginem esse abstinentiae „deliciarum carnis", (contra hanc sententiam, cf. Dillm., l. c.), certius definiri non potest, quomodo ipse P hoc praeceptum intelligi voluerit. Satis habet, veterem consuetudinem lege firmare.

Contra optime convenit universae Elohistae sententiae, nasiraeis non licere, ut se mortuis immundent. Nasir est, qui deo se separavit et dedicavit (Num. 6, 2). Quicunque autem deo dedicatus fuerit, in communionem dei recipitur, ergo sanctus est. Quamobrem abstineat omnibus, quae deus abominat, imprimis immunditie mortuorum. Hoc praecepto servando nasiraei pontifici maximo exaequantur. Licet ergo et laicis singulis, in certum tempus eam sanctitatem in se monstrare, quae alias sacerdoti summo reservatur. Et legis, qualis est Num. 6, maxime interest, ut munditics eorum, qui tam arte cum deo coniunguntur, servetur et omnis macula expurgetur, (Num. 6, 9 ss.). Hac summa puritate nasiraei singulari quodam modo e toto populo eminent,

---

garten, Apostelgesch.², (Braunschw. 1859), I., p. 596 ss.| Praeterea cf. E. Vilmar, Th. St. u. Kr. 1864, p. 438—484; J. Grill, „über Bedeutung und Ursprung des Nasiräergelübdes," Jhbb. f. pr. Theol. VI, 1880, p. 645 ss.; Wurster in Z.A.T.W. IV., 1884, p. 129 ss.; (Bestmann, o. c. p. 310 ss.); Kuenen, Godsdienst II., p. 195 s.

quod eo magis mirum videtur, si respexerimus, etiam feminis licere votum nasiraeatus facere, (Num. 6, 2); cf. P. Wurster, in Z.A.T.W., 1884, p. 132.

Nasiraeatum non esse solum votum abstinentiae, apparet vel nomine נדר Num. 6, 2; sed non dicitur, quo modo nasiraei vim et vigorem suum deo dedicatum ad rem Jehovae iuvandam conferre debeant.

Licet nasiraeis, cum voto nasiraeatus alia vota coniungere (Num. 6, 21); sed ex ipsa lege nihil aliud demonstrari potest, quam, sicut supra diximus, per nasiraeatum, quo singuli deo se dedicant, sanctitatem totius populi munusque sacerdotale a deo ei impositum, (sc. ut deo appropinquet, totum se dedat, omnia immunda excludat), depingi et ostendi, (cf. Wurster, l. c. p. 133).

Qua de causa lege sanctitas nasiraeorum urguetur, et praecepta singula ad ritus pertinentia accuratissime describuntur. De sacrificiis nasiraeorum infra disputandum erit, cf. Cap. X, II ss. Item de nasiraeatu tanquam voto vide Cap. XI, IV. Leges, quae non sunt huius rationis, solam consuetudinem veterem sancire videntur, qua de causa ad antiquitates magis pertinent quam ad ethicen, nisi quod et ipsis oboedire deo iubetur populus.

Cap. VIII.

De sanctitate temporis.

Sicut locus et homines, ita diebus festis celebrandis etiam tempus deo consecratur et dedicatur. Qua in re primum animadvertendum, plures esse rationes illorum dierum festorum inter se coniunctas et connexas. Dies festi celebrandi sunt, non solum quibus certum quoddam temporis spatium deo dedicetur, sed quibus et fruges agri deo offerantur, (cf. Cap. IX, I), et magnalia dei populo in memoriam revocentur. Singularis est ratio diei expiationis.

I. Etsi leges de sabbatis celebrandis partim libro Elohistico, (Gen. 2, 1 ss.; Ex. 16, 22 ss., exceptis vss. 27—30, cf. Wellh., Comp. des Hexat., p. 79[1]); 35, 2 ss.: Num. 15, 32 ss. (Num. 28, 9 s.), partim legi sanctitatis (Ex. 31, 12 ss.,

---

1) Driver, Introduction to the literature of the O. T, (5. ed), p. 28 non solum Ex. 16, 27—30, sed et 25. 26 addicit Jehovistae, quia „vv. 25—30 agree with vv. 4—5,“ cf. Dillm., Ex. u. Lev., p. 164. 174.

cf. Köhl., Lehrb. d. Bibl. Gesch., II. Hälfte, II. Teil, p. 156 Anm. 6; Lotz, Quaestionum de historia Sabbati libri duo, II., p. 101 Anm. 1; 104; Lev. 19, 3. 30; 23, 1 s. 26, 2), addicendae sunt, tamen ratio omnium fere eadem est, cf. Lotz, l. c. p. 88 ss., 100 ss. — Sabbata celebranda sunt, quia (cf. Ex. 31, 17 b.) deus creato mundo septimum diem faustum sacrumque sibi fecit, sive hunc diem sibi excepit et sanctificavit. Ipse enim septimo die quievit; Gen. 2, 2 s. Apparet sententiam esse, sabbata quasi in dispositione creationis posita esse. Quamquam lex sabbati celebrandi Gen. 2, 1 ss. non datur, tamen sabbatum videtur esse res deo sancta, sive celebratur, sive non celebratur. Utrum a patriarchis sabbata celebrata sint necne, dubium est; certe sabbatum populo Israel Ex. 16 videtur ignota res. Ipsis autem eis, quae [in libro Elohistico] hoc loco narrantur, demonstratur, quod diximus, sabbatum quasi per se esse rem deo sanctam. Etiam priusquam iubeatur sabbatis otium haberi, deus miro modo sanctitatem diei septimi revelat et illustrat, (Ex. 16, 22). Manifestum est, sabbata observanda esse potius scriptorem quam populum novisse[1]), cf. Köhl. I., p. 254, Anm. 1.

Ex quo foedus dei cum populo constitutum est, sabbata utique a populo celebranda esse, perspicuum est. Inde a foedere sabbatum imprimis signum videtur, quo cognoscatur, a Jehova sanctificari populum, Ex. 31, 13. Sabbata celebranda sunt, quia Israel populus Jehovae est; consecrato hoc die sanctum se praestat deo suo. Sabbatis celebratis populus separet et discernat se a ceteris gentibus non electis; qui sabbata profanaverit, ipse se extra foedus constituit et exstirpandus est (ib. v. 14 s.). Sicut et aliae res deo dedicantur, ita et spatium quoddam temporis; atque etiamsi non perspicue dicitur, tamen optime convenit sententiae universae legis sanctitatis et libri Elohistici, hoc uno die consecrato, quasi omnes ceteros hebdomadis dies sanctificari, et hac in re quoque deum accipere partem pro toto. Haec omnia videntur ex ipso foedere sequi, neque opus est, ut usque ad creationem mundi recurratur.

---

1) Quae omnia valent solâ de narratione Elohistica capitis XVI. libri Ex. cf. Lotz, l. c. p. 10. 11 Anm. 1; Dillm., l. c., p. 174 vertit דִּבֶּר v. 23 „geredet hat“; aliter Kautzsch, Übers., „gebietet“.

Sed praeterquam quod aliarum rerum non postrema, sed prima pars deo consecrari solet, etiam Ex. 31, 17b causa legis supra datae dicitur: sex enim diebus fecit Jehova coelum et terram, septimo autem die quievit et respiravit (וַיִּנָּפַשׁ׃). Etsi hic versus a Dillmannio R(edactori) addicitur, (Ex. u. Lev., p. 331), et Lotz, o. c. p. 104 „hos versus in librum sanctitatis insertos esse, antequam is in librum elohisticum receptus sit", existimat, qua de re nobis fusius non est disputandum, tamen apparet, non facile explicari posse nisi ex narratione creationis mundi, deum septimum, non alium diem sibi dedicari voluisse. Illum enim diem sacrum fecit, (Gen. 2, 3).

Persaepe iamiam vidimus, causam, cur deus res quasdam a populo postulet, plerumque non dici, nisi quia deus populi Israel sit, et oboedientiam ab eo exigat. Aliter hac in causa res se habere videtur, Sabbata celebranda sunt, non solum quia deus absoluta voluntate sua hoc fieri voluit, quod sane potuit ut deus Israel, sed etiam, quia ipse septimo die quietem sibi dederat. Populus videtur sabbatis celebrandis deum ipsum imitari, non solum praeceptum caeco animo explere. Quod probat Smend, Altt. Relggesch. p. 332 Anm. 1: „Einigermassen wird dabei freilich der Sabbath über Gott gestellt" [1]) ab universa libri Elohistici sententia admodum abhorret. Contra significatur, unde sanctitas huius diei summa oriatur. Non quievit deus, ut diem septimum sanctificaret, sed sanxit eum, quia quieverat; Gen. 2, 3b [cf. Lotz, o. c. p. 105].

Celebranda autem sunt sabbata quovis opere intermisso. Negari non potest, ab Elohista magis urgueri, quaenam sabbatis fieri non liceat, cf. Ex. 31, 14s.; 35, 2; Num. 15, 32 (cf. Now., Arch. II, p. 160; Wellh., Prol. zur Gesch. Isr.[3], p. 116; Lotz, o. c. p. 83), quam quomodo dies ille re vera deo dedicetur. Non solum graviores labores, sed omnis generis opera profana intermittenda sunt (velut lignari, ignem incendere, Num. 15, 32; Ex. 35, 3).

Sed animadvertendum est, tempus nonnisi aut opus faciendo aut quiescendo expletum cogitari. Cum ceteris diebus hebdomadis homo sibi utatur et abutatur, septimum diem otiando deo dedicat. Operibus, quae fiunt ceteris

1) cf. Jülicher „Die Quellen von Ex. 7, 8 - 24, 11" in Jahrbb. f. pr. Th., VIII, 1882 [I, p. 77 ss.; II, p. 272 ss.], p. 287.

diebus, homines profanantur, otiando videbatur temporis spatium quoddam deo consecrari; cf. Smend, Altt. Relggesch., p. 330; Schultz, Altt. Theol.[5], p. 253. Sequitur, ut revera otium perfecta cum diligentia agatur[1]). Potuit deus postulare, ut et alia sibi sabbatis praestentur quibus hi dies sibi sanctificentur, (cf. Num. 28, 9 s.), sed non opposuit opera operibus, sed otium operando. Causa non potest dici, nisi quia ipse septimo die quievit.

Sed deus septimum diem non solum sacrum, sed etiam faustum fecit. Quo significatur, otium sabbaticum non esse solum officium, sed etiam beneficium. Si Ex. 31, 17 b ab Elohista scriptus esset, hoc quoque loco beneficium otii sabbatici in memoriam revocaretur. Neque repudiamus, cum deus dicatur sabbata celebrasse, ab Elohista significari vitam hominis secundum exemplum dei degi debere per vices operandi et otiandi (Ewald, Altt., p. 138)[2]). Sabbatis otiandum esse humanitatis quoque erga servos et iumenta causa apud P non significatur, quamquam perspicuum est, etiam legibus sabbati Elohisticis idem effici.

Sed denuo dicendum est, sabbata apud P celebranda esse religionis causa. D e o officium praestandum est. Dies d e o sacer videtur sabbatum esse. Convenit Lev. 23, 3 praescribi, ut hoc die *πανήγυρις* fiat apud sanctuarium.

II. Eadem, quae de sabbato dicenda sunt, videntur valere etiam de anno sabbatico et iubilaeo (Lev. 25). Otium sabbaticum etiam in agros et vites extenditur. Septimum quodque annum totius terrae agri et vites non erant colendae et amputandae, Lev. 25, 4 ss. Haec quies appellatur שַׁבָּת לַיהוָה (ib.), i. e. ager quiescit d e o, quiscens deo dedicatur. Per senos annos quasi homini operatur, septimo quoque anno deo, vero possessori, datur, a homine non cultus. Ratio huius praecepti ergo et ipsa imprimis ad religionem pertinet.

---

1) De eis, quae disputat Lotz, o. c. p. 75 ss., hic longius agere nobis non licet. Constat, sabbata a populo Israel semper celebrata esse religionis, non solius humanitatis causa. Sed poenis, quibus apud P sancitur, ne sabbata violentur, nec non nomine sabbati שַׁבַּת שַׁבָּתוֹן קֹדֶשׁ לַה' Ex. 31, 15. 35, 2; Lev. 23, 3; denique et praecepto Ex. 35, 3 apparet, etsi sanctitas sabbati semper eadem putata est, tamen ipsum otium sabbaticum apud Elohistam maioris momenti esse, quam apud ceteros scriptores Pentateuchicos (cf. Smend, o. c. p. 331 Anm. 3).

2) cf. Köhl. I, p. 32; Fz. Delitzsch, Realencykl.[2] IV, p. 539.

Agro quietem concedendam esse, ut et ipse laetetur et fruatur otio, quod homini septimo quoque die permittitur, non aperte dicitur. Sine dubio haec ratio ad humanitatem quandam pertinens, a sententia universa Elohistae non abhorret, sed sicut supra diximus, praevalet ratio religionis[1]). Et sicut non tempus ipsum deo dedicatur, sed tempus, quoad operando expletur, ita et non ager per se, sed quoad a hominibus colitur et fruges proferre cogitur, deo dedicandus est. Sequitur, ut anno sabbatico quiescat: quae ultro protulerit, revera dei sunt, sed a deo universo populo necnon animalibus et feris nullo discrimine facto, conceduntur, (Lev. 25, 6).

Praeter officium religiosum hoc modo praestandum apparet his legibus significari rationem maximi momenti, ubi de universa populi possessione iudicetur. Verus possessor terrae et agrorum Jehova est; qui solum populo suo permisit, ut bonis terrae fruatur. Quod ne populus obliviscatur, annus sabbaticus instituitur. Sed ipso illo anno ceteri quoque anni sanctificantur. Non dicitur, laborando frui agris et vitibus peccatum vel vitium esse, sed quo magis populus deo sanctificaverit, quae sibi excepit, eo magis licet populo, ut fruatur eis, quae deus ei concessit, (cf. Lev. 25, 20). Licet his legibus nimium separetur inter ea, quae pertinent ad deum colendum et ea, quae hominis sunt, quoniam labor et opus in hoc mundo faciendum per se debent esse cultus dei, tamen gravitas officii erga deum praestandi non potuit alio modo demonstrari et illustrari. Neque omittendum est, fruges agrorum, quae anno sabbatico ultro proferuntur, [quaeque deo sanctae videntur], imprimis et pauperibus et egentibus et oppressis concedi, quo cognoscitur, ipso ex praecepto religionis oriri humanitatem (Lev. 25, 6)[2]).

Sicut sabbato singuli dies, et anno sabbatico orbis annorum santificatur, ita anno iubilaeo singuli annorum sabbaticorum orbes. Quodsi ipsius anni sabbatici ratio magna ex parte magis ad possessionem quam ad tempus sanctificandum pertinebat, multo magis lege anni iubilaei celebrandi

---

1) cf, v. Orelli, Realencykl.² XIII, p. 171 ss. contra Ewald, Altt., p. 489.

2) Non opus est, hodie iam demonstrari, leges sabbati, anni sabbatici, anni iubilaei non dari disciplinae publicae vel vectaligalium publicarum administrandarum causa. Neque hoc modo fertilitas agrorum augeatur.

haec ratio illustratur: quaecunque populi sunt, re vera dei sunt. Qua de causa quinquagesimo quoque anno omnia restituenda sunt in integrum statum, qualem deus esse voluit. Erit autem de hac lege infra fusius disputandum; cf. Cap. XVI, II.

III. Ceteris diebus festis excepto die expiationis tum gratiae aguntur deo pro messe incepta aut peracta, tum fruges agri et vitis deo dedicantur [1]), cui rationi adiungitur grata memoria magnalium dei.

Hic quoque spatium quoddam temporis separatur et deo dedicatur, neque vero omnis generis opus, sed solum laborem profanum fieri vetatur, (מְלֶאכֶת עֲבֹדָה Lev. 23, 7. 25. 35s., cf. v. 3). Non ergo quiescendum his diebus, ut quiete ipsa tempus deo dedicetur, sed ut homines quiete facultatem accipiant reminiscendi rerum magnarum a deo factarum, sive ut conveniant ad concionem apud sanctuarium habendam. Lev. 23, 7s. 24. 36. 37. Ex. 12, 16. Num. c. 28; 29 ps. Animadvertendum autem est, varios esse gradus quietis variorum dierum festorum. Primo et postremo die festi mazzoth non solum graviores labores profani, sed etiam omnis generis opera intermittenda sunt, nisi quod licet cibum parare (Ex. 12, 16); [quod quidem sabbatis et die expiationis interdicitur, Ex. 35, 2; Lev. 16, 29; 23, 31; Num. 28, 7. cf. Dillm., Ex. u. Lev., p. 111].

Singulare videtur esse imprimis festum paschae et mazzoth. (Ex. cc. 12; 13; Lev. 23, 4ss.; Num. 9, 6ss.; 28, 16ss.; (Jos. 5, 10ss. P). Cum nondum satis consentiatur a singulis, quomodo fontes capitum Ex. 12 et 13 disparandi sint, (cf. Nöldeke, Untersuchungen zur Kritik des Alten Test. [Kiel 1869] p. 41ss.; Wellhausen, Comp. d. Hexat., p. 72ss.; Jülicher, die Quellen von Ex. 7, 8—24, 11. in Jahrbb. f. p. Thl., VIII, 1882, 2. Heft, p. 272 ss.; J. Müller, Kritischer Versuch über den Ursprung und die geschichtl. Entwickelung des Pesach- und Mazzothfestes, [Zür. Dissert., Bonn 1884], p. 4 ss.; Dillmann, Ex. u. Lev., p. 98 ss.; Driver, Introduction [5], p. 25 ss.), solis de eis versibus hic a nobis agendum erit, quos libri Elohistici esse inter omnes constare videtur: nempe Ex. 12, 1—20. 28. 40—50; 13, 1.

---

1) Non satis perspicua est ratio primi diei mensis septimi, qui vocatur dies tubarum, יוֹם הַתְּרוּעָה, cf. Köhl. I, p. 430; Dillm., Ex. u. Lev., p. 592; Stade, Gesch. Isr. II, p. 260.

Et distinguendum est inter ea, quae solam in illam occasionem, quaeque in futurum tempus praescribantur.

Ad nostram autem rem haec fere pertinere videntur.

Pascha non est sacrificium sensu strictiore dictum[1]; sed variis vestigiis significatur, etiam ab Elohista pascham intellectam esse quasi rem deo offerendam, sive sacrificium sensu latiore dictum, cf. Köhl. I, p. 435, A. 9. Qua de causa vocatur קָרְבַּן, donum, Num. 9, 13, quod qui subtraxerit deo, exstirpandus est e medio populo, (ibd.). Etiam quae praescribuntur de portis sanguine agni paschalis illinendis, de carne, ipsa nocte non comesa, comburenda, similia sunt ritibus sacrificiorum quibusdam, (cf. Ewald, Altt., p, 473 s.; Köhl. I, l. c.; Budde, „Die Gesetzgebung der mittleren Bücher des Pentateuchs etc. in ZATW., [1893 p. 193 ss.], p. 198[2]), de quibus infra disputabimus (cf. Cap. X, IV).

Elohistae maxime interest diligentissime praecipere, quomodo et a quibus pascha edenda sit, quando fermentum e domibus amovendum sit, etc. Quibus praeceptis ritus hoc die festo celebrandus accuratissime describitur, et quicunque inoboediens fuerit, poena capitis afficitur.

Ipsa igitur oboedientia populus Israel tunc salutem sibi firmasse videtur. Oboedientiae quoque sunt, quaecunque in futurum fieri iubentur. Ratio singulorum rituum fere nunquam claris verbis significatur. Non dicitur exempli causa, quid sibi velit praeceptum, ut herbae amarae cum agno paschae edantur, Ex. 12, 8, sive ut agnus non coctus aqua, sed assus igni edatur, Ex. 12, 9, sive ne ossa eius conterantur, Ex. 12, 46 b. etc. Quam variae a variis harum rerum rationes probentur, cognosci licet ex eis, quae disputat Dillmann, o. c. p. 105 s. Certa autem, contextu nihil praebente, dicere non licet; ceterum, quae colligi possunt verisimilia, non ad mores pertinere videntur.

Quodsi fermentum ex domibus tolli iubetur, non alienum videtur ab universa libri Elohistici sententia, hoc modo significari, novo anno coepto promitti a domo eiusque in-

---

1) cf. J. Müller, o. c. p. 66. 71, Anm. 1.

2) Ex. 12, 27 זֶבַח־פֶּסַח הוּא לַיהוָה hoc loco non respiciuntur, cf. Köhl. l. c., quia Ex. 12, 21—27 a plurimis non Elohistae adducuntur; [aliter E. König, Einleitung in das A. Test. (Bonn 1893), p. 226], sed etiam apud P (Ex. 12, 11) occurrit פֶּסַח לה״.

colis novam puritatem[1]), (cf. Köhl. I, p. 437 Anm. 1; Dillmann in Schenkels Bibellxkn. IV, p. 388: Ex. u. Lev., p. 112: Ewald. Altt., p. 476).

Sed ne illud quidem claris verbis dicitur, et apparet primam rationem huius praecepti esse ne agnus paschalis immunditie fermenti maculetur, (cf. Köhl. I, p. 196). Sanguis portis illinendus deo signum (אוֹת) est, quo cognoscat domos Israeliticas (Ex. 12, 13), non autem vehiculum gratiae et expiationis sicut in sacrificiis videtur esse, quamquam verisimile est, rationem expiationis non porro a contextu verborum abesse. Sed sicut diximus. ipsa vis et virtus horum rituum posita est in voluntate dei iubentis. Debebat tunc populus oboedientia et fide[2]) erga deum salutem oblatam accipere, et solum quia singulis praeceptis impletis Israelitae profitebantur, velle se servari et posse se servari non alia via, nisi quam deus praescripserat, re vera hac via a deo servati sunt. Hanc esse ipsam sententiam Elohistae, non singulorum rituum ipsorum vim et varias rationes hoc modo demonstrari, mihi gravissimum videtur.

Sicut prima pascha a profecturis e terra Aegypto, ita a posteris memoria huius diei festi celebranda est imprimis, quo praestetur deo obtemperantia. Simul autem hoc festum etiam posteris professio quaedam fidei videtur esse.

Solis enim iis, qui circumcisione participes foederis facti sunt, licet pascham celebrare, Ex. 12, 44 ss., sed illis crimine capitis imperatur, ut ne hoc facere intermittant; cf. Num. 9, 13. Communio foederis hoc modo quotannis depingenda erat. Apparet, et singulis praeceptis, quae de celebranda coena et edendis panibus non fermentatis data erant, varias rationes ad communionem totius populi, sive ad redemptionem olim factam spectantes subiectas esse, de quibus nobis hic disputandum non est, cf. Now., Arch. II, p. 174 s., Keil, Archäologie[2], p. 406 ss.

Utique populus quotannis profitebatur, se esse populum dei, populum dei factum esse sese sola gratia dei redemptoris, sequitur, ut novum de integro studium promittat totum se dedendi deo.

Praeter pascham solum festum tabernaculorum (Lev. 23, 43) celebrandum est gratae memoriae causa. Tabernaculis

---

1) alia est ratio Deuteronomii c. 16, 3; alia Ex. 12, 34. 39 (JE).
2) cf. Hofmann, Weiss. u. Erf. I, p. 122.

exstructis populo in memoriam revocabatur migratio per desertum facta. Apparet, non dici posse de omnibus festis diebus apud P celebrandis praevalere rationem illam gratae memoriae magnalium dei, Wellh., Prol.[3], p. 103 s.

Sed cum lege nihil magis appetatur, nisi ut populus fiat deo sanctus, non vitium, sed virtutem existimandam esse puto libri Elohistici, quod diebus festis admonebatur populus de eis, quae maiores a deo acceperant. Quanto maioris momenti dies festi ad religionem universam omnium populorum sunt, tanto magis opus erat, ut ratio horum festorum vere religiosa sanciretur et confirmaretur. Et quo magis societas populi Israel communio foederis erat, eo magis necesse erat, dies festos non a singulis solis, sed ab universa ecclesia celebrari. Apparet, hoc modo ipsis diebus festis ea, quae verae pietatis sunt, commendari et augeri, velut gratum erga deum animum, obtemperantiam et fiduciam, studium communis salutis tuendae, alia [1]).

Sed cum affectiones animorum in lege non respiciantur, manifestum est, fieri potuisse, ut haec singula praecepta sola externa obtemperantia impleantur, et ut ex communitate fiat nimium proprii gentis studium, de quibus periculis infra longius disputandum erit nobis, cf. Cap. XVII, III; H. Schultz, Th. St. u. Kr. 1883. I, p. 107ss.

Praeterea dies festi celebrandi sunt, ut populus deo gratia sagat pro frugibus agrorum et vinearum et ut primitias frumenti et panum deo consecret: cf. Lev. 23, 9—22. 39 ss. [Num. 28, 26]. De hac ratione iam agemus de sanctis vectigalibus et donis universis disputaturi.

Cap. IX.

De sanctitate possessionis.

I. Populus Israel deo sanctus est. Quamobrem non solum locum, tempus, personas, sed etiam omnia sua deo consecrare debet. Quanti momenti haec praecepta sint ad recte de iure possessionis et usu bonorum iudicandum, infra videbimus; (cf. Cap. XVI, II). Hoc loco solum demonstrandum est, quomodo Israel sanctificandis rebus suis sanctum se

1) cf. Hitzig, Vorlesungen über Bibl. Theologie und mess. Weissg. d. A. T., ed. Kneucker, (Karlsruhe 1880), p. 101; F. E. Kübel, die soziale und volkswirthschaftl. Gesezgeb. des A. Test., p. 85 ss.

praestet deo, et communionem, quam habet cum deo suo, exprimat.

Forma santificandi eadem fere semper videtur esse. Datur deo pars rei sanctificandae, prima vel optima, quae aut comburitur, aut deo proponitur sacrificiorum modo, aut per imaginem deo dedicatur ventilando (תנופה), aut a sacerdotibus accipitur; ceteris partibus a deo hominibus ceditur, quae oblatâ unâ illâ parte et ipsae sanctae factae esse videntur; cf. Keil, Archäol. [2], p. 362; Kautzsch, d. A. T. Übers., Beil., p. 191.

Dedicandae sunt deo primum variarum rerum primitiae, (cf. Köhl. I, p. 344 s.; Now., Arch. II, p. 258; Benzinger, Hebr. Archäol., (Freib. i./B. u. Leipz. 1894), p. 461 s.), velut:

frugum agrorum, olei, musti omniumque fructuum, qui a terra proferuntur, Num. 18, 12. 13; deinde prima merges messis deo offerenda est, Lev. 23, 10;

tum faris hordei prima placenta deo dedicanda, Num. 15, 20;

tum duo panes fermentati die festo hebdomadum[1]) deo ventilandi sunt, ut primitiae panis e novo frumento faciendi, Lev. 23, 17 ss., (cf. Lev. 2, 12; Num. 28, 26);

tum primi partus pecudum aut sacrificandi aut exsolvendi sunt, Ex. 13, 2; [12. 15; 34, 19]; Num. 3, 13; 18, 15;

tum fructus arborum recens plantatarum quarto anno deo dedicandi sunt, (Lev. 19, 23);

---

1) Nullo loco Veteris Testamenti dicitur, rationem huius festi ad historiam populi Israel pertinere, (cf. Now., Arch. II, p. 179). Non solum lege sanctitatis (Lev. 23, 17 ss.), sed etiam libro Elohistico ponitur, hunc diem esse festum peractae messis, (Lev. 2, 12; Num. 28, 26). Et quocunque quis modo explicari voluerit crucem illam interpretum ממחרת השבת, Lev. 23, 11. 15: cf. Köhl. I, 438 Anm. 5; Nowack, Arch. II, 176 Anm. 2; Dillmann, Ex. u. Lev., p. 586 s.; Kämpf, „Über die Bedeutung des Wortes שַׁבָּת im Pentateuch“, Mon. f. G. u W. d. Judentums XI, 1862, p. 147, apparet, apud H quidem festum mazzoth cum agricultura coniunctum et connexum esse. Quamquam igitur valent, quae diximus p. 46 s., sc. dies festos ante omnia celebrandos esse, quia deus voluerit, tamen ratio eorum e connexu vitae naturalis et agriculturae non soluta esse videtur; cf. Wellh., Comp. des Hex., p. 161; Now., Arch. II, p. 172; Müller, o. c. p. 58 s.; Stade, Gesch. Isr. II, p. 260; König, Hauptprobleme, p. 91.

denique et panes propositionis videntur consecrari, quo demonstretur, totum victum populi Israel Jehovae sanctum esse, cf. Dillmann, Ex. u. Lev., p. 599; Köhl. I, p. 371; Now. II, p. 241; aliter Bähr, Symbolik des Mos. Cultus[2] I, p. 519; Keil, Arch.[2], p. 114.

Praeterea decimae frugum agrorum et arborum Lev. 27, 30; Num. 18, 21 ss., necnon pecudum Lev. 27, 32, deo consecrandae sunt.

Deinde quadraginta octo urbibus Levitis cedendum erat, Num. 35; Jos. 21); hae urbes et ipsae quasi deo dedicari videntur a ministris eius accipiendae.

Tum et praedae bello captae certam partem deo dedicandam esse demonstratur eis, quae de bello Midianitico et dispartitione rerum captarum Num. 31, 26 ss. narrantur.

Frugibus quoque annis sabbaticis et iubilaeis non demessis, et restitutione universa annis iubilaeis facta populus confitetur, omnia sua re vera dei esse, non sui ipsius.

Denique data occasione liberae voluntatis dona deo colliguntur, velut collectio fit ad aedificandum sanctuarium Num. 25, 1 ss. 35, 4 ss.; a principibus tribuum varia munera deo offeruntur Num. 7, 1—88. De censu capitis Ex. 30, 11 ss., cf. p. 32, adn. 2; 59, adn. 4.

II. Haec vectigalia maxima ex parte simplici praecepto imponuntur populo nulla addita causa. Affectio animi ipsa, ex qua oriantur haec dona deo danda, non respicitur. Potuerunt lubente animo dari, sed et periculum erat, ne vanitas iustitiae ex opere operato perfectae oriatur. Vicissim non poenae proponuntur, neque vis adhibenda videtur, si quis haec officia deo praestare omiserit, cf. Köhl. I, p. 424. Sed etiamsi non aperte dicitur, tamen per se manifestum est, primitiis, et decimis diebus festis offerendis populum admoneri, ut gratiam habeat deo pro rebus acceptis. Primi partus pecudum deo offerendi sunt, quia deus miro modo Israel ex terra Aegypto redemerit, (Num. 3, 13, cf. p. 33 s.), quo grata redemptionis memoria excitetur et conservetur.

Primam autem horum omnium praeceptorum rationem universam iam supra diximus.

Intelligat populus omnia sese accepisse et accipere a deo, idcirco omnia deo sancta esse debere. Ubi hoc modo de bonis terrenis iudicatur, necesse est, et quae humanitatis

sunt[1], commendari, cf. quae praecipiantur de anno sabbatico et iubilaeo. Sed libri Elohistici maxime interest, officia erga deum praestari, ut, quae religionis sunt, diligentissime observentur. Qui omiserit, in deum peccat, non in homines.

Quodsi haec munera, de quibus egimus, magna ex parte magis vectigalia et tributa levitis et sacerdotibus pendenda[2]) videntur quam dona deo oblata, apparet, hoc magis formae quam rei discrimen esse, cum constet rationem esse, ea, quae re vera deo offeruntur, a deo ministris suis solum concedi et permitti, quibus victum sumant. Et licet hoc modo magis cultus conservetur quam religio, tamen admonentur singuli, ut et ipsi, in quacunque quis versatur vitae condicione, contribuant ad efficiendum et conservandum statum populi deo acceptum.

Cum autem hae oblationes sanctae vario modo sacrificiis similes sint et cum sacrificiis connectantur, conveniens est, iam de sacrificiis ipsis agi.

Cap. X.

De sacrificiis.

Praemittimus huic quoque capiti, non disputaturos nos de universa sacrificiorum ratione, sed nitentes in eis, quae libris de antiquitatibus populi Israel scriptis definiuntur, solis de rationibus ad ipsam ethicen pertinentibus disseremus.

I. Non opus est, ut longius demonstretur, quantum differat sacrificiorum ratio ab Elohista proposita a ratione sacrificiorum plurimarum gentium aliarum. Etiamsi enim apud P quoque sacrificium appellatur לחם ה׳ (Lev. 3, 11. 16; 21, 6. 8. 17. 21 s.; 22, 25; Num. 28, 2. 24), sive לֶחֶם אִשֵּׁה ה׳ (Lev. 3, 11. 16; Num. 28, 24), atque odor sacrificii dicitur רֵיחַ־נִיחֹחַ לַה׳ (Lev. 1, 9. 13. 17; 2, 2. 9; 3. 5; 6, 14; 23, 18; Num. 15, 3. 7. 10. 13 s. 24 etc.), porro etsi totus offerendi modus nititur in humano quodam naturae dei conceptu, ac si deus revera donum oblatum acciperet, tamen inter omnes constat, principalem horum rituum

1) cf. F. E. Kübel, Die soziale und volkswirthsch. Gesezgeb. d. AT., p. 27 ss.

2) cf. Now, Arch. II, p. 258; Benz, Arch., p. 461; Wellhausen, Proleg.³, p. 158 s. 161.

vim et rationem apud P non sentiri, neque hoc modo cognitionem dei ut „essentiae spiritualis“ turbari et violari. Hoc fieri non potest, nisi cum ritus imagines rei ipsius intellectae fuerint.

Sed Elohistae ipsius et hac in re maxime interest accuratissime praecipere, quaenam a quibus sacrificia sint offerenda, et quando, ubi, quomodo sacrificandum sit. Ritus externi lege diriguntur et describuntur, ipsa ratio et vis singulorum rituum non explicatur. Collatis locis solius libri Elohistici haec fere ad nostram rem spectare mihi videntur [1]).

II. Sacrificia offerenda sunt apud P plerumque ab ecclesia universa, sed licet etiam singulis sacrificia offerre; et si impleta fuerant praecepta, necesse erat, numerum sacrificiorum a singulis offerendorum, praecipue expiatoriorum, multo maiorem esse quam publicorum sacrificiorum. Eodem modo distinguendum est inter sacrificia, quae fieri deus iubet, et quae libero arbitrio permittuntur. Fere omnia sacrificia publica velut diebus festis vel peccata publica expiandi causa offerenda a deo ipso praescribuntur: singuli imprimis sacrificia expiatoria et purgatoria offerre iubentur, sed licet eis et libera voluntate deo sacrificia offerre, Lev. 1, 2 (עֹלָה); 2, 1 (מִנְחָה); 3, 1 ss. שְׁלָמִים, תּוֹדָה Lev. 7, 12 ss. נֶדֶר et נְדָבָה Lev. 7, 16 etc., cf. Köhler I, p. 398.

Cum immunditie singulorum tota ecclesia immundetur, necnon sanctuarium dei ipsum (cf. Lev. 15, 31: Num. 5, 3:

---

1) cf. Dillm., Ex. u. Lev., p. 376 s.; Altt. Theologie, p. 456 s. 465 s.; Köhler, I, p. 44 s.; p. 387 ss.; v. Hofm., [Weiss. und Erf., p. 146 ss.], Schriftbew.[2] II, 1, p. 225 ss.; v. Orelli, Realencykl.[2] XI, p. 29 ss.; Steiner in Schenkels Biblxkn. IV, 362 ss.; Keil, Archäol.[2], p. 203 ss. 230 ss.; Lev. p. 10 ss.; Ewald, Altt., p. 31 ss.; Nowack, Arch. II, p. 219 ss.; Benzinger, Arch., p. 439 s.; Wellhausen, Proleg.[3], p. 80 ss. 443 ss.; Israel. u. jüd. Gesch.[1], p. 142 ss.; Oehler, Altt. Theol., p. 404 ss.; Smend, Altt. Religionsgesch., p, 319 ss.; Schultz, Altt. Theol.[5], p. 260 ss.; Bestmann, o. c. p. 300 s.; Kuenen, Godsdienst II, p. 170 ss.; H. Strack, Gen. Ex. Lev. u. Num. ausgelegt (Strack und Zöckler, Kurzgefasst. Komment. AT. I. Abt.), (München 1894), p. 287 ss.; K. Schlottmann, Komp. d. bibl. Theol. ed. Kühn (Leipz. 1889), p. 28 ss.; A. Kayser, Theol. d. A. Test., 2. Aufl. ed. K. Marti (Strassb. 1894), p. 218 ss.; R. Smith, Das alte Test., Seine Entstehung und Überlieferung, übertragen von W. Rothstein (Freib. i./B. u. Leipz. 1894), p. 230 s. 358 ss.

19, 13. 20), singuli etiam cura sanctitatis ecclesiae totius admonentur et impelluntur (cf. Smend, Altt. Religionsg., p. 322)[1], ut potestate recuperandi sacrificiis puritatem utantur, ne ecclesia populi sancti maculetur. Vice versa sacrificia ab ecclesia universa (velut die expiationis), oblata prosunt singulis omnibus. Sacrificiis enim publicis communio dei et populi de novo semper constituitur et conservatur, extra quam communionem omnino singulis non licet deo appropinquare.

Apparet sacrificia, quae deus a populo universo et a singulis exigit, maioris momenti videri, quam quae liberae voluntati permittuntur. Numquam lege admonentur homines, ut ultro numerum sacrificiorum augeant, neque meritum putatur, si quis multa dona deo obtulerit. Contra, quae deus exigit, oboedientiâ continentur. Si populus ea praestiterit, quae deus exigit, satis est. Dei re vera interest, ut oboediatur, non ut sacrificia offerantur. Hanc rationem non solum de numero sacrificiorum deo offerendorum valere, infra videbimus[2].

Sed licet singulis, data occasione sua sponte quaedam sacrificia offerre; quid dicam, quod plurima sacrificia in certas occasiones et condiciones vitae cum singulorum tum populi praescribuntur? Velim autem distinguas inter occasiones et causam sacrificandi (contra Wellh., israel. und jüd. Gesch. p. 143); causae respondet finis, occasioni sacrificandi respondet ipsum sacrificium. Quaenam maxima sit causa sacrificandi, infra investigabimus, quod attinet occasiones sacrificandi, apparet, etiam apud P nullam fere esse condicionem vitae vel negotium sive publicum sive privatum, sive religionis sive rerum civilium, quod non sacrificiis deo offerendis sanctificetur. Quodsi summum officium et beneficium populi Israel videtur, ab ipso solo deum vere coli, fieri non potest, quin cultus in omnes res extendatur. Imprimis nihil fere potest deo dedicari nisi sacrificiis oblatis, sanctuarium eiusque ministri Ex. 29, 1—35. 36 s.: Lev. c. 8; singuli dies quotidianis holocaustis Ex. 29, 38 ss.; Num. 28, 3—8: dies festi sacrificiis singularibus Num. 28, 9 ss.; merges prima inceptae messis Lev. 23, 10 s.; panes primi

1) Cf. etiam Wildeboer, Die Litteratur des AT. übers. v. Risch (Gött. 1895), p. 322.

2) Cf. G. Wildeboer, l. c. p. 326 s.

peractae messis Lev. 23, 16 ss. sacrificiis prosequentibus deo consecrantur et dedicantur. Eis, qui a deo gaudio affecti erant, licebat sacrificiis gratias reddere (תודה), sive donis voluntariis (נדבה), ii, quorum preces deus audiverat, debebant, si voverant, vota sacrificia offerre (נדר). Accedunt singularia sacrificia velut a nasiraeis voto interrupto et perfecto offerenda (Num. 6, 10 ss. 13 ss.), vel sacrificium mulieris adulterii suspectae Num. 5, 12 ss., denique varii generis sacrificia, quae immunditiei vel peccatorum expiandorum causa offerenda sunt. Sacrificia videntur pertinere ad omnia, quaecunque precatione deo proponuntur.

III. Sed aliter res se habet, si ipsam causam sacrificandi respexerimus, quam cum ratione et vi sacrificii universa cohaerere apparet. Sunt quidem occasiones sacrificandi, quibus et demonstratur, qua de causa sacrificandum sit, (cf. חטאת ואשם); sed plerumque non dicitur, cur haec, non alia, tot, non plura sacrificia offerenda sint. Hoc valet imprimis de sacrificiis dierum festorum. Apparet, diem die praestare aucto numero et amplitudine sacrificiorum (cf. Num. 28); ordinem offerendi singula servandum esse, iubetur exemplis Ex. 29, 14. 18; Lev. 8, 14. 18; 9. 8. 12. 15—17; 14, 19; cf. 5, 7; 14, 31; Num. 6, 11. 16, sed qua de causa deus haec omnia praecipiat, ex ipsa lege non cognoscitur.

Sacrificium ipsum videtur res nota esse, cf. Dillmann, Ex. u. Lev. p. 376, cuius causae principales non opus sit, ut proferantur, praesertim cum vis sacrificii magis in voluntate dei, quam in ipso dono posita sit. Primam rationem omnium sacrificiorum fuisse studium et quasi impetum homini innatum, oblato dono cum deo communionem facere, perlucet apud P maxime in sacrificiis eucharisticis (שלמים, cf. Dillmann, Ex. u. Lev., p. 406 ss.; Now., Arch. II, p. 211 Anm. 1). Sed multo maioris momenti sunt ea sacrificia, quae offerri iubentur peccati causa (חטאת et אשם). Causam horum sacrificiorum re vera peccatum esse, non solam distantiam hominis creaturae et dei sanctissimi satis perspicue mihi videtur contra Ritschl, Rechtf. u. Versöhn.[2] II, p. 185 ss., cui consentit ex parte Baudissin, Stud. II, p. 130 A. 2, demonstratum esse a Riehm, Th. Stud. und Krit. 1877, I. H., p. 7 ss. „Der Begriff der Sühne im Alten Testament“; Schmoller, Th. St. u. Kr. 1891 „Das Wesen der Sühne in der altt. Opfertora“, II. H., p. 205 ss. (imprimis p. 248 ss.

274 ss.); Nowack, Arch. II, p. 220 Anm. 1: v. Orelli, in Ztschr. f. kirchl. W. u. k. L., V 1884, p. 127 ss. 169 ss.; cf. Dillmann, Ex. u. Lev., p. 421 ss. (414 ss.); Smend, Altt. Religionsg., p. 320 ss.: Schultz, Altt. Theol.[5], p. 280). Sub aspectu peccati apud P ponuntur omnia, quae deus, qua est sanctitate, a se excludit, velut corporis immundities. Peccatum maxime macula videtur, qua de causa etiam res, non solum homines, peccato infectae putantur, cf. Lev. 14, 33 ss. (lepra domuum); cf. Schmoller, l. c. p. 268). Et sicut immunditie unius rei altera contaminatur, ita et peccatum quasi contagione serpere videtur. Homines, castra, sanctuarium, sacra dona contaminantur non solum veris peccatis, sed etiam immunditie casu contracta. Omnis gravior autem contaminatio sacrificiis expiatur.

Sacrificia expiatoria iubentur offerri ante omnia pro peccatis et immunditie, quam quis inscius vel non consulto sibi contraxerit, cf. Lev. 5, 1. 14 ss.; Num. 15, 22 ss. Similis rationis sunt, quae de expiandis rebus (ara, Ex. 29, 37, personis, cf. Ex. 29, 10 ss.; Lev. 8, 14 ss.; Num. 6, 14. 16), qui deo dedicantur, praecipiuntur; necnon sacrificia expiatoria pro ecclesia universa diebus festis, cf. Num. c. 28; c. 29, offerenda.

His in causis non consulto contra deum peccatum est.

Quamquam autem praecipitur, ut, quicunque consulto leges Jehovae transgressus erit, morte puniatur, Num. 15, 30 ss., tamen manifestum est, hanc regulam gravissimam ipso in libro Elohistico non ubique servari; cf. Smend, l. c. p. 323 Anm. 3; Schnell, Das israel. Recht (Basel 1853), p. 45.

Non solum enim peccata temere commissa expiare (Lev. 5, 4) licet, cum eo, quod quis temere peccaverit, non levius fiat peccatum eius, sed etiam aliae res sacrificiis expiandae enumerantur, Lev. 5, 1 ss.: 20 ss., quae nisi perspicuis Jehovae praeceptis consulto violatis non possunt committi. Expiari enim licet, si quis testimonium non ediderit, deposita, credita, rapta dissimulaverit, proximum oppresserit (עשק Lev. 5, 21), periuraverit. Etiam, si quis servae virgini vim intulerit, sacrificium expiatorium offertur (Lev. 19, 21). Denique die expiationis omnia peccata populi, quaecunque a quibuscunque commissa fuerint, expiantur et auferuntur e medio populo (Lev. 16, 21 ss). Non licet dicere, hoc loco expiari sola peccata ad cultum pertinentia, nam et peccatis, quae ad mores spectant, pariter

sanctitas populi violatur et contaminatur. (Sola caedes non expiatur nisi sanguine occisoris [Num. 35, 33].) Sed apparet ipsa historia Elohistica et poenis, quibus varia facinora afficiuntur, sententiam non esse, die expiationis omnia facinora gravissima singulorum detegi et cooperiri, ac si iam non opus esset singula sacrificiis expiari, et iusta poena affici eos, qui consulto leges transierint. Neque vero aperte dicitur, sola ea peccata, quae ab imprudentibus commissa et nondum expiata erant, quia ab eis, qui commiserant, omnino conscientiâ non erant concepta, hoc die cuncta tolli et remitti (cf. S. Adler „Der Versöhnungstag in der Bibel, sein Ursprung und seine Bedeutung, ZATW. IV, 1884, p. 182), nullo loco enim expiatio huius diei hoc modo circumscribitur; contra omnia peccata sive populi universi sive singulorum, quamquam ex parte iam expiata, quibus sanctuarium dei maculatum erat, hoc die tolli et exstingui videntur.

Praeterea interdum gravioribus delictis a populo commissis singularibus sacrificiis expiatio fit, cf. Num. 17, 11 ss.

Nullo modo ergo negari licet, sacrificia peccatorum causa offerri: sed cum de his praeceptis iudicetur, respiciendum est, quae sit notio peccati apud P. Immunditics corporis nobis omnino non videtur expiari debere, — non posse expiari sacrificiis peccatum libero arbitrio commissum. Quamobrem nemo neget, et notionem peccati et viam expiandi hac parte quidem imperfectam esse. Sed animadvertas, quaeso, haec fere de causa sacrificandi:

Vidimus supra, immunditiem alicuius rei oriri sola ex voluntate dei. Status vel habitus immundus videtur maxime, quia deus sic voluerit. Quodsi deus ab omni immunditie abhorret, sequitur, ut, qui hoc noverit, viam purgandi sese a deo praescriptam ingrediatur. Vera causa sacrificandi ad extremum est oboedientia deo praestanda. Accedit ergo ratio quaedam ad mores pertinens.

Eo, quod etiam pro peccatis contra proximos commissis sacrificia offerri iubentur, monstratur, hoc modo non solum in populares, sed etiam contra deum peccari.

Ceterum ab iis, qui sacrificia expiatoria oblaturi sunt, postulatur, ut, quae commiserint, confiteantur, Lev. 5, 5; Num. 5, 7, sicut et pontifex maximus die expiationis manibus capiti capri „emissarii“ impositis omnia peccata Israelitarum confiteri debet, Lev. 16, 21. Quae proximis sive deo

subtracta erant, addita quinta cuiusque pretii parte reddenda sunt, Lev. 5, 16. 24, (cf. Lev. 22, 14); Num. 5, 7, ut demonstretur, eum, qui peccaverit, re vera peccato liberari velle. Affectiones animorum lege non respici, consentaneum est; quodsi saepius occurrit וְאָשֵׁם (Lev. 4, 13. 22. 27; 5, 2. 3. 17. [19.] 23), non tam colligere licet, excipi his praeceptis gravis culpae conscientiam, quam excitari videtur (cf. Smend, Altt. Religionsgesch., p. 323 Anm. 2 contra Dillm., Ex. u. Lev., p. 414.)

Sed iamdudum inter omnes constat, his ipsis praeceptis clarissime cognosci, vim et rationem legis esse, ut populus educetur.

Debebat populus assuescere peccata intelligere, quae deus ita intelligi voluerit, debebat cognoscere omnia peccata contra deum committi, discebat communionem dei hominumque maxime peccatis dirumpi et turbari. Et vario modo significatur, sententiae legis universae convenire, ut operi externo conversio interna adiungatur, quamquam concedimus maxime Elohistae interesse, ut, quae praescripta sunt, diligentissime praestentur.

IV. De singulis singulorum sacrificiorum ritibus nobis non est disputandum, praesertim cum rationes fere nunquam aperte dicantur. Apparet nomine sacrificiorum universo קָרְבָּן, primam rationem esse doni deo offerendi. Sequitur, ut nonnisi optima et praestantissima quaeque offerre liceat, nec non sola ea, quae re vera hominis sunt, sacrificari posse. Sed licet etiam pauperibus sacrificia, quamvis exigua offerre, cf. Lev. 5, 7 ss. Deus, qua est puritate, abhorret ab omnibus, quae cum morte sive putrore cohaerent, ergo non fermentum ullius generis offerre licet (velut mellis aliarumque rerum), et sale sacrificia salienda sunt. Cum deus spiritus sit, qui non eget cibo, non cocta, sed cruda pleraque deo offeruntur.

Singulis ritibus ipsis depingitur nil nisi dedicatio victimae deo oblatae. Manibus impositis intentio offerentis quasi traducitur in victimam, cf. Orelli, l. c. p. 40; Dillmann, Altt. Theol. p. 468; Köhl. I., p. 394 Anm. 5; Dümmler, in Zeitschr. f. kirchl. Wiss. u. kirchl. Leben, X., 1889, p. 192; aliter hunc ritum intelligunt: Rosenmüller, scholia[2] II, (1798), p. 9; Schultz[5], p. 275; Knobel, ad Lev. 1, 4; (ritus manumissionis [et dedicationis]).

Tota victima combusta vel parte optima deo oblata, parte a sacerdotibus accepta deus ipse donum accepisse videbatur, sanguis, in quo vita continetur, singulari modo deo applicatur, quo summum donum, quod homo a deo accepit, deo reddatur, cf. p. 60. Interdum quae ipso sacrificio efficiuntur, alio ritu prosequente depinguntur, velut si die expiationis capro altero immolato alter in desertum emittitur, cf. Lev. 14, 6 s. 53. De his omnibus rebus libris de antiquitatibus populi Israel scriptis diligentius agitur.

Apparet, ipsam vim horum rituum positam esse in voluntate dei iubentis. Etsi subest ratio una et simplex, quam qui noverit, universam sacrificandi rationem et principia quaedam religionis Israeliticae facile intelliget, tamen nunquam respicitur nec perspicue dicitur, quomodo singula ex una illa ratione oriantur, nec quomodo singula inter se cohaereant. Sed omnia pariter a deo iubentur, et in omnibus cum maximis tum minimis rebus pariter deo oboediendum est.

V. Hoc maximi momenti videtur, quo recte de fine sacrificandi iudicetur.

Perspicue dicitur finis holocausti לְרָצוֹן sive וְנִרְצָה לוֹ necnon לְכַפֵּר Lev. 1, 3; 22, 19 s., [cf. 7, 18; 19, 7; 22, 23. 25], et Lev. 1, 4; 14, 20; 16, 24; eucharistici (לְרָצוֹן Lev. 19, 5; 22, 21. 29; 23, 11), expiatorii (לְכַפֵּר; וְנִסְלַח לוֹ Lev. 4, 20. 26. 35; 5, 6. 10. 13, item sacrificii expiantis debitum (אשׁם) Lev. 5, 16. 18. 26 etc.). Praeterea vis expiatoria tribuitur suffitui (Num. 17, 11 ss., cf. Lev. 16, 12 s.), et tributo in singula capita imposito, (Ex. 30, 15 s.), cf. Num. 31, 48.

Sicut omnes gentes, ita etiam Israelitae secundum sententiam horum locorum sacrificia offerunt, quibus ut donis deo datis accepti fiant. Sed nihilo minus et hac parte cf. p. 53 longe inter se differunt sacrificia ab Israelitis offerenda et sacrificia gentilium.

Apud P enim non iam sacrificiis oblatis deus commoveri ab hominibus putatur. Ponitur communio foederis dei populique.

Quae communio ut exprimatur, si salva fuerit[1]), ut restituatur, si rupta fuerit, plurimorum sacrificiorum ratio

1) cf. Ewald, Altt., pg. 65 ss.

est. Imprimis illud valet de holocausto. Cotidie holocaustis matutinis et vespertinis communio populi cum deo de novo semper constituitur et servatur[1]). Apparet, sacrificia non solum imagines et symbola esse, quibus haec communio depingatur, sed vehicula quaedam, quibus re vera efficitur, (cf. Orelli, Realencykl.² XI, p. 59), quod ab offerente intenditur et appetitur. Sed haec vis sacrificiis non est nisi voluntate dei, neque potest augeri efficacia sacrificiorum aucto numero vel pretio hostiarum (cf. p. 53), neque minui contrario modo, contra sacrificia aut valent, si talia ab eis oblata fuerint, qualia a quibus deus voluerit, aut inania vel abominabilia deo videntur, si vel minima praecepta neglecta fuerint. Eadem valent de sacrificiis eucharisticis (שלמים), quae sequi solebant holocausta. Parte hostiae vel oblationis a deo accepta non solum cetera sanctificantur, sed etiam communio fit dei et hominis, quae comesa carne hostiae confirmari videbatur. Concurrunt huc variae rationes[2]), sed extremus finis idem est ac holocausti. Holocaustum praeclarius videtur, quia hostiâ totâ deo oblatâ dedicatio perfectior esse putabatur. Sed et eucharistici sacrificii vis continetur non tam amplitudine hostiae, quam diligentia et oboedientia, qua singula praecepta ad hoc sacrificium pertinentia impleta fuerint.

Sed holocausti finis dicitur etiam לכפר Lev. 1, 4[3]), idem finis est tertii generis sacrificiorum inde appellatorum. Primum animadvertendum est, holocausto ipso non expiari, sed solo coniuncto cum sacrificio expiatorio; cf. Dillm., Ex. u. Lev. p. 391. Praecedit semper expiatio oblationem holocaustorum, cf. quae p. 54 enumerantur exempla. Num. 28 et 29 solum numerum hostiarum definiri, non ordinem sacrificandi respici, manifestum est. Si expiatio fieret omnibus sacrificiis, non opus esset, speciem eorum constitui, quae et ipsa expiatoria appellaretur.

Causam „expiandi“[4]) re vera peccatum esse, supra

---

1) cf. Steiner, in Schenkels Bibellkn. IV, p, 362.
2) cf. Köhl. I., p. 398.
3) cf. Rosenmüller, Scholia II², (1798). [excursus II, de variis verbi כפר significationibus, p. 154 s.] p. 155.
4) כפר videtur esse „terminus technicus“ dictionis sacerdotalis, et significare „sacrificiis expiare“. cf. Schmoller l. c. p. 283; Ex. 30, 11 ss.; Num, 31, 50 licet non agatur de peccatis expiandis, tamen non sequitur, ut vis huius vocis semper eadem sit ac his

demonstravimus, neque hoc loco iam argumentis probandum mihi videtur, sacrificiis non solam creaturam hominis protegi, sed revera peccata et immundities tolli, quo possit homo, (holocaustis, denique eucharisticis sacrificiis oblatis) in communionem dei restitui, cf. Schmoller, l. c. p. 261. Quamquam enim ponitur a populo omnino non peccari consulto, tamen neque haec ratio ubique servatur et peccatis minoribus quoque vel immunditie, quam nos quidem peccatum non putamus, communio foederis turbatur, quae ipsis illis sacrificiis restituitur; cf. p. 54 ss.

Quem ad finem parandum ritus sanguine celebrandos maximi momenti esse, apparet: cf. Lev. 17, 11 ss. Si quaesieris, unde haec vis sanguinis, facile intelligas, ad extremum voluntatem dei causam esse. Sanguis videtur sedes vitae; quaevis vita utique deo reddenda est: vim expiandi non haberet, nisi deus sanguinem populo ad hunc ipsum finem dedisset. Sanguis igitur expiat, non tam quia vitam puram continet — Impura omnino non licet offerre et non vita ipsa per se munda aut immunda dicitur, sed animal et homo ipse mundus aut immundus videtur, cf. Schmoller l. c. p. 230 ss.; Schlottm. o. c. p. 30. — neque pretium et virtus sanguinis posita est in morte, quam subierit poenam animal pro homine, cf. Now., Arch. II., p. 231 s.; Dillm., Ex. u. Lev., p. 416 s.: Ritschl, Rechtf. u. Vers.[2] II., p. 193; Köhl. I., p. 406; Orelli, l. c. p. 41, neque sanguis donum intelligitur velut aliae res a homine deo dedicatae, cum homo nullo modo potestatem habeat ullius vitae, (quae ratio non satis respici mihi videtur), — Sed habet sanguis vim expiatoriam solum, quia deus sic voluit. Concedit deus homini, ut animali vitam demat, sibique eam certo aliquo modo offerat. Quod si fecerit, deus ea, quae hominem a se separabant, operta et exstincta sese putaturum promittit, vel ut accuratius sequar dictionem Elohistae, oblato sanguine (et hostia) homo obtegitur[1]). Sed notio obtegendi, quae sensibus percipitur,

---

duobus locis singularibus. Ceterum quaerendum est, nonne his locis ius quoddam, quod deus habet vel sibi comparavit, in singulos quasi exsolvi videatur. [cf. Schmoller, l. c. p. 264 s ; de nomine כפר, cf. Rosenmüller, l. c. p 156; praeterea Dillmann, Ex. u. Lev., p. 318 etc.]

1) cf. Wildeboer, o. c. p. 326; Schlottmann-Kühn § 52, p. 30 Anm.

fere omnis negligitur, et sententia simplex est, homines expiari sive ritibus celebratis tales constitui, quales cum deo in communione esse possint. Singulis ritibus et alias varias rationes subiectas esse et subjici posse, apparet; cf. quae disputet Riehm de carne hostiarum expiatoriarum a sacerdotibus edenda, (Riehm, l. c. p. 70 ss.; cf. Ewald, Altt. p. 88; Schmoller, l. c. p. 259 s.; Dillm., Ex. u. Lev., p. 417: Now., Arch. II., p. 233), de quibus nobis hoc loco disputandum non est.

VI. Cernimus igitur, ipsam vim omnium sacrificiorum positam esse in oboedientia hominis hoc modo praestita. Sacrificia offerri necesse est, nec non offerri talia, qualia deus voluerit. Sed non offerenda sunt, quibus deus commoveatur, sed quibus populus oboedientem se praestet deo.

Hanc, non aliam deus praescripsit viam gratiae suae adipiscendae; si quis aliam ingredi voluerit, in deum peccat.

Sed ob id ipsum gratia dei revera sacrificiis offerendis cognoscitur. Deus, qua est gratia, revera hac via remissionem peccatorum libere donat[1]), revera populum in communionem suam admittit. Solus populus Israel novit viam, qua deo appropinquetur. Et sola gratia deus voluit, his sacrificiis rite sibi oblatis homines sibi acceptos fieri. Non solum officium grave populo impositum, sed etiam beneficium a deo libere donatum videtur esse cultus deo praestandus. Cognoscuntur igitur variae rationes ad mores pertinentes horum praeceptorum: primae autem videntur esse gratia dei et oboedientia populi. His solis enim nititur vis sacrificiorum.

Sed cum hae rationes magis praeceptis externa oboedientia implendis depingantur neque ipsius animi affectiones respiciantur, cumque gratia divina rebus sensibus subiectis nimis conjuncta et adnexa sit, periculum erat, ne opere externo diligentissime impleto, interna cordis dedicatio negligeretur, quae quidem sacrificio oblato depingitur. Et nullo loco significatur, externo opere non opus esse, modo interna animi affectio adsit, quamquam hanc sententiam sequi ea, quae de vi sacrificiorum demonstrata sunt, necesse videtur. Si enim deus re vera oboedientiam in opere exigit, non opus ipsum, et gratiam dat non operis causa, sed libera voluntate decernente, apparet, non multum abesse,

---

1) cf. Lotz, Geschichte und Offenbarung im A. Test., (Leipz. 1891), p. 290 s.

ut opus ipsum supervacaneum cognoscatur. Quae conclusio etsi ipsa lege non fit, tamen lege praeparatur.

De aliis praeceptis ad religionem moresque pertinentibus.

Cap. XI.

Quae deus sibi vindicet.

Israel esto populus Deo sanctus. Vidimus iam (cf. p. 19 ss.), quaenam varii generis praecepta hanc rationem primam sequantur, praecepta primum, quibus corporis et naturae mundities a singulis populoque universo exigitur, deinde quibus servatis demonstretur, quomodo populus sanctum sese praestare possit ac debeat consecrato loco, tempore, personis, opibus, oblatis sacrificiis, aliis. Quae omnia de religione praecipiuntur, quo magis populus discat religionem, i. e. rationem colendi deum *a deo praescriptam* proprium sui officium intelligere omnesque vitae condiciones cordisque motus ad deum referre. Servatis his praeceptis demonstratur dei cum populo communio inturbata.

I. Sed sunt et alia quaedam *pietatis* praecepta, partim singularia, partim ex universa religionis ratione manantia, quibus servandis excludantur e populi cultu, moribus animisque, quaecunque turbare possunt purissimam et perfectissimam illam populi cum deo communionem.

Ratio horum praeceptorum imprimis ea est, ut fas in Israel incolume habeatur, i. e. ut ne ius dei, quod habet in populo suo, violetur. Jure autem vindicat deus sibi

primum, ut ipse solus colatur a populo suo. Quamobrem interdicitur (in H) quivis daemonum (שׂעירים Lev. 17, 7, cf. Dillm., Ex. u. Lev., p. 537; Keil, Lev. p. 112), idolorum (אלילים Lev. 19, 4. 26, 1), Molochi (Lev. 18, 21: 20, 2 s.) cultus[1]).

deinde prohibentur, quaecunque ullo modo cum idolorum cultu cohaerent. Quamobrem vetantur Israelitae idola sibi facere (Lev. 26, 1; אלהי מסכה Lev. 19, 4), vel imagines (פֶּסֶל Lev. 26, 1), necnon statuas erigere (הקים מצבות Lev, 26, 1), aliaque eius generis (אבן משכית cf. Num. 33, 52

1) cf. Ew., Altt., p. 295; L. v. G., IV, § 404 p. 125 s.; Köhler I, p. 353; Bruce, o. c., p. 100 ss.

lapis figuratus? cf. Dillm., o. c. p. 618; Keil, o. c. p. 158) sibi exstruere „להשתחות עליה“, „ut pro eis adoretis“ (de sententia vocis עליה, cf. Dillm. et Keil., l. c.).

Firmantur haec praecepta apposita formula: „ego sum Jehova“, Lev. 21, 18; sive „ego sum Jehova, deus vester“, Lev. 19, 4; 26, 1; accedit Lev. 21, 18, ne profanes nomen dei tui; similia sunt, quae legimus Lev. 20, 2 s.: hoc (Molochi) cultu pollui sanctuarium dei et profanari nomen sanctum eius; Lev. 17, 7. 20, 5 denique eiusmodi idololatria describitur voce זנה, cf. Ez. 16, 34; 20, 30; 23, 3. 5. 19 ps.

Argumentum ergo huius legis non tam idolorum vanitas est, quam populi sanctitas; i. e. eiusmodi rebus abominabilibus turbatur et rumpitur communio populi cum deo, (cf. ego sum J., deus vester), velut matrimonium adulterando (זנה). Dei nomen autem maculatur, si deus a populo suo non agnoscitur talis, qualem se ei revelavit, quod fit adoratis idolis, ac si esset ullus deus praeter Jehovam, deum populi Israel. Eadem est sententia formulae: „ego sum Jehova“: Conceptio dei, quae revelato nomine יהוה continetur, hac idololatria in contrarium sui convertitur. Atque etiam si פסל Lev. 26, 1 sive אלהי מסכה Lev. 19, 4 intelligenda sint non idola stricte dicta, sed imagines Jehovae, imaginibus talibus „spiritualis dei essentia“ cf. Köhl. I, p. 354[1]) violari videtur. Quodsi denique Lev. 20, 3 tali cultu sanctuarium dei violari dicitur, ratio est, omnibus peccatis et cultus et morum sanctuarium dei pollui, cf. Keil, o. c. p. 126. Cum a sanctuario omnis generis immundities excludenda sit, multo magis populo idololatria et cultu Molochi se polluente, sanctuarium dei maculatur.

Utique autem mihi pro certo habendum videtur praeceptum illud, quo Israel alienos deos, idola, imagines colere et facere vetatur, etsi primo loco oritur ex communione dei cum populo foedere facta, tamen in H etiam eam ob causam dari, quia ex revelata dei essentia manat. Quas duas causas coniunctas et connexas esse inter sese, ubique apparet. Sed concedendum est, praevalere argumentationem, qua ex necessitudine et coniunctione Jehovae et populi deducitur, neminem nisi Jehovam colendum esse. Quod ne

1) cf. F. E. König, Die Bildlosigkeit des legitimen Jahwekultus, Z. f. kirchl. Wiss. u. k. L. VII, 1886, p. 225—239; 281—295.

sensu *μονολατρίας* intelligatur, prohibetur notione electionis cf. p. 15 ss. nec minus ipsa notione dei cf. p. 5 ss. Idola sunt אלילים, res inanes, cf. Dillm. ad Lev. 19, 4 o. c. p. 551. Quo magis deus omnipotens aeternus comparabatur cum idolis, eo magis horum vanitatem perspicuam fieri et cognosci necesse erat, cf. Jes. cc. 40—48. Legis autem interest maxime, quae religionis sunt, praecipere et commendare tanquam summum officium.

II. Eadem ratione, qua idololatria stricte dicta, considerandae sunt et leges, quas legimus Lev. 19, 26: לֹא תְנַחֲשׁוּ וְלֹא תְעוֹנֵנוּ: item Lev. 19, 31; 20, 6: אַל־תִּפְנוּ אֶל־הָאֹבֹת וְאֶל־הַיִּדְּעֹנִים, cf. Lev. 20, 27. Convertere sese ad spiritus mortuorum et spiritus vaticinantes contaminat hominem (Lev. 19, 26); dicitur idololatria (זנה), Lev. 20, 6; in quocunque fuerit eiusmodi „*πνεῦμα Πύθωνος*", dignus est, qui mortis poena afficiatur, Lev. 20, 27. דמים hic sensu latiore intelligendum est: scelus morte dignum. Omnes ergo artes magicae et cuiusvis generis divinatio crimine capitis interdicuntur Israelitis; cf. Köhl. I., p. 354. Quodsi apponitur Lev. 19, 31 אֲנִי ה' אֱלֹהֵיכֶם, sententia eadem est ac omnibus locis: Israel, populus Jehovae, ne petat oracula ab alio nisi a deo suo, cum aliter non possit sanctus, i. e. deo dedicatus esse[1]). Non licet ei facere eiusmodi res — eiusmodi artibus non opus esse populo Jehovae, quae ratio Deut. 18 contextu versuum 9—14 et 15 ss. perlucet, hic non urguetur. Non magis propter huius superstitionis vanitatem et inanitatem hae leges dantur, cum ipsa lege ponatur clarissime, homines re vera posse eiusmodi artes magicas exercere, spiritus invocare et sibi astringere: sed dantur, quia, qui talia commiserat,

---

1) cf. De mortuorum cultu stricte dicto his locis non agitur, sicut toto V. T. non est locus, quo probari possit, eiusmodi ritus et opiniones non semper ut superstitiones a religione vera damnata esse, cf. p. 23 ss. Sed manifestum est, superstitiosam fuisse opinionem credentium invocatis spiritibus mortuorum, (cf. Dillm., Ex. u. Lev., p. 558; Smend., o. c., p. 112 s., Anm. 2; Nowack, o. c. II, p. 273; Oehler, Altt. Th.², p. 261 s.; Kayser-Marti, Altt. Theologie, 2. Aufl., p. (39 s.), 186 s.), res a naturali hominum scientia remotas posse comperiri. Voce ידעני haud scio an idem fere significetur, ac אוב (Dillmann, l. c.; Stade, Gesch. Isr. I, p. 504; alii). De ceteris praeceptis Lev. 19, 27 s. 21, 5 s., quibus et ipsis veteres ritus superstitiosi videntur impugnari, infra disputandum erit.

a deo Israelis ad alia numina videbatur defecisse (זנה), et re vera defecerat. Grata etiam beneficiorum memoriâ et dei amore fiduciâque commoveri populum, ut detestetur ista scelera, videtur significari additis verbis (Lev. 19, 36), „qui eduxi vos ex Aegypto“, quibus verbis subscriptis omnia praecepta quasi vinculo continentur. Sed cum nusquam haec praecepta, de quibus disputamus, expressis verbis ex grato populi animo, sive ex amore erga deum deducantur, hoc quoque argumento nihil profertur, nisi de qua omnino causa deus possit ac debeat populo Israel eiusmodi praecepta absoluta dare. Quibus omnibus probantur, quae supra disputavimus p. 18.

III. Agendum deinde de aliis praeceptis, quibus et ipsis fas in Israel violare vetatur populus, praeceptis scilicet exigentibus, ne quidquam, quod deus sibi sanxit et reservavit, a populo auferatur vel subtrahatur. Praecepta huius generis oriuntur omnia ex intima populi cum deo communione, et magna ex parte idem volunt negative, quod aliis locis positive exigitur, cf. p. 28 ss. Fiunt autem res dei, vel sanciente deo vel vovente homine.

Per se sacrosanctum esse dei sanctuarium, manifestum est. Praecipitur Lev. 19, 30; 26, 2: מִקְדָּשִׁי תִּירָאוּ: violat ergo dei possessionem, dei iura, quicunque sanctuario sive suppellectilibus eius sive cuiusvis generis vasibus sanctis temere appropinquaverit, (Ex. 29, 37; 30, 29.: Num. 1, 53; 3, 10; 4, 15. 20; 8, 19; 17, 28; 18, 7. 22 etc.), vel rebus ad sacra pertinentibus, (oleo et thure sancto, Ex. 30, 32 s. 37 s.), sibi usus erit.

Sabbata non violanda esse, cf. p. 40 ss., eadem ratione intelligi potest.

Violat dei ius, qui decumas, primitias aliaque deo dedicanda subtraxerit, cf. p. 49 ss., qui deterius aliquid pro meliore offerre conatus erit, (Lev. 27, 33 cf. Köhl. I., p. 345), alioque modo fraudem facere ausus erit rerum sacrarum.

Simili modo consideranda sunt praecepta, quibus interdicitur, ne quis (exceptis sacerdotibus) attingat carnes victimarum piacularium (Lev. 6, 11. 20. 21, cf. Ewald, Altt., p. 85 s. 88; Köhl., I., p. 406; Dillm., Ex. u. Lev., p. 441; Keil, o. c., p. 45) — non enim licet, profanis manibus profanare, quae deo oblata, facta sunt קֹדֶשׁ, קָדָשִׁים, Lev. 6, 18. 22; 10, 17; cf. 7, 1. 6; 14, 13; Num. 18, 9.

— ne quis carnem victimarum eucharisticarum servet in diem alterum (תודה [שלם] Lev. 7, 15), sive (נדר [שלמ] et נדבה [שלם] Lev. 7, 16 ss.; 8, 32; 19, 5—8; 22, 30; Ex. 29, 34), in diem tertium, cf. Dillm., o. c. p. 448: Baentsch, Hlgkges., p. 146.

Cum enim victimae parte deo oblata tota victima sacra sit facta, non licet, carnem eius tractare ut rem profanam: putrescens autem caro perditur, quae debet deo sancta haberi.

Denique cum omnia praecepta de sacris rebus non profanandis neque cum profanis commiscendis sub hoc aspectu possint et debeant poni, ne dei iura violentur, de duabus rebus, quas deus sibi sanxit, hoc loco agendum nobis videtur, etiamsi alterius quidem sanctitas iam ante foedus dei cum populo Israel ictum proclamatur. Sanxit enim deus, ne edatur sanguis, (Gen. 9, 4; Lev. 19, 26 caro cruenta; Lev, 3, 17; 7, 26 s.; 17, 10—14 sanguis ipse), neve pinguia (Lev. 3, 17; 7, 23—25)[1]).

Causa dicitur duplex. Primum Lev. 17, 11 ss., (cf. p. 60), interdicitur, ne sanguis edatur, quia sanguis, vitae sedes, habet vim expiandi, et vita sanguine contenta sacrificando deo offerenda est. Solum ad expiandum et lustrandum dedit deus hominibus potestatem sanguinis effundendi, omnisque sanguis effusus in sacrificio et extra sacrificium deo reddendus est. Quomodo sanguis deo reddendus sit, hic disputandum non est; satis est demonstretur, Israelitas interdici sanguinis esu, solum quia sanguis deo iubente sacrificiis offerendis reservatus est. Cum cuiusvis victimae sanguis deo rituali modo offerendus esset, omnis sanguis factus est res sacrosancta, quemadmodum omnis corporis vita sanguine continetur, (cf. Lev. 17, 14).

Et sicut sanguinem, ita et pinguia edere vetatur populus, quia pinguia in ritu sacrificii ut sacrosanctum aliquid tractanda erant. Adipem cadaveris et discerpti licet adhibere ad omne opus (Lev. 7, 24), sed omnino non comedere, omnis adeps Jehovae est (Lev. 3, 16). Quae in cultu deo dabantur, non extra cultum homo debebat consumere. Si animalia erant ea, ut non potuerint sacrificando deo offerri,

---

1) cf. supra p. 12. 60; Köhl. I., 345 s.; Knobel ad Lev. 7, 26; Keil, Lev., p. 50; Dillm., Ex. u. Lev. p. 451; idem ad Gen. 9, 4; Ew., Altt., p. 51; Baentsch, o. c., p. 150; Benzinger, Arch., p. 483.

(נבלה et טרפה), tamen homini non licebat, eam partem, quae alias dei erat, sibi vindicare, ac si plenum possidentis ius haberet in eam. Sed debebat abstinere, ne aliter hac animalis parte uteretur, ac deus praescripserat. Animalium sacrificandorum autem adeps eodem modo ut sanguis omnino nec edendus nec ad quidquam consumendus erat.

Sanctitas ergo sanguinis et adipis oritur ex ritu sacrificii, non (secundum legem sacerdotalem quidem), ex horrore naturali, neve animarum cultu, cf. Stade, Gesch. Isr. I, 484. Sed, quod Stade l. c. concedit, agitur solo de iure dei non violando. Absoluta voluntate Jehova has duas res suas constituit, hominibus certum quendam usum praescripsit et concessit. Hominis est obtemperare.

Sic lege data res se habere videtur. Sed si animadverterimus Gen. 9, 4, et alia ratio occurrit praecepti de sanguine non edendo a deo dati. Hic enim praecipitur non populo, sed toti generi humano idem, quod postea a populo exigitur. Concedit deus hominibus, ut edant carnes omnium pecudum, et promittit, se ipsum vindicaturum sacrosanctam hominis vitam, Gen. 9, 3 et 5. Quodsi 9, 4 vetantur homines carnem, quae vitam sanguine contineat, edere, primum hominis potestas circumscribitur et limitatur, deinde omnis vitae immensa dignitas et pretium monstratur; cf. infra Cap. XIV, I.; Dillmann, Gen. l. c.; Köhler I., p. 64.

Etsi enim multo pluris aestimanda est vita hominis quam animalium, tamen omnis vita dei est, auctoris vitae, neque licet homini, vitam ullam tractare ut rem suam; cf. Köhl., l. c. p. 65 Anm. 1. Ergo hic quoque praevalet ratio quaedam religionis, etsi humanitatis ratio non deest, cf. Cap. XIV, I, s. f., cum et humanitatis sit, vereri maiestatem vitae alterius, et non hominis sed bestiarum sit, devorare carnem cruentam. Sed causa principalis nihilo secius est, ne violetur dei ius, ne sibi vindicet homo, quae dei sunt.

IV. Idem valet de praeceptis, quae de votis dantur, (Lev. c. 27; Num. c. 30). Res votae sacrae sunt, non sanciente deo, sed vovente homine. Voveri non iubetur neque laudatur aut commendatur, ut bonum opus faciendum, sed solum sancitur, ut vota suscepta exsolvantur. Neque praecipitur, quibus de causis homo votum facere debeat, vel non debeat, sed praecipitur, quinam possint rite vovere, et quando valeat votum (Num. 30). Cum vovere

maxime sit, deo aliquid dedicare, nihil fere est, quod non possit voveri, nisi quod iam per se dei est, cf. Lev. 27, 26. 27, (et res deo per se abominabiles Deut. 23, 19). Praecepta[1]) de exsolvendis sive pecuniâ redimendis votis monstrant religionis severitatem. Nullo modo fiat fraus rerum deo votarum. Vario modo prohibetur, ne temere et parum considerate voveant homines; si quis rem devotam pecunia redimere voluerit, quintam pretii partem apponere debet; si quis voverit iurans לְבַטֵּא, effutiendo (Lev. 5, 4; cf. Dillm., Ex. u. Lev., p. 429; Keil, Lev., p. 39), sacrificium expiatorium offerre debet; et si votum filiae a patre, uxoris a marito irritum reddi potest, tamen (Num. 30, 9. 13) expressis verbis dicitur: יְהוָה יִסְלַח לָהּ, „Jehova remittet ei", quo demonstratur, et tale votum sanctum aliquid esse, quo homo deo obstringitur.

Ante omnia igitur et hic sacrosanctitas voti et verecundia rerum deo dedicatarum docetur. Jus, quod deus habet in res sibi devotas, nemini violare licet, sive temere susceptum est votum, sive non. Valet haec lex de quovis voto pariter, etsi singula de votis communibus, de voto nasiraei, cf. p. 38 ss., de rebus sine spe redemtionis deo devotis et, si quid animatum sit, necandis (חרם) praecepta vario modo inter se differunt. Per se intelligitur, homines non ex libidine cuiuslibet potuisse „anathema" declarari, (cf. Köhl. I, p. 421; Dillm., Ex. u. Lev., p. 634 s.) —, et cum res, tum personas hoc modo internecioni destinatas esse, solum si dei irae obnoxiae videbantur, cf. Now., o. c. II, p. 268 Anm. 2; p. 266, sub 2.

An Lev. 27, 28 et 27, 29 duo genera anathematizandi distinguenda sint, quod probant Saalschütz, Dillmann, (l. c.), Nowack, (l. c.), non multum interest ad hanc nostram rem disquirendam, cum, utcunque res se habet, ratio universa, quam supra definivimus, valeat.

Ad extremum videtur eadem ratio iuris dei non violandi valere et de aliis praeceptis, quibus praescribitur, ne periurando, Lev. 19, 12, vel imprecando aut blasphemando nomen dei violetur Lev. 24, 11. 16; (cf. Köhl. I, p. 354; Dillm., p. 600; Keil., Lev., p. 146). Quibus omnibus rebus detrahitur honori dei aliquid, cum periurando dei

1) cf. de singulis legibus Dillm., ad Lev. 27; Keil, Arch.², p. 343 ss.; Köhl. I, 419 ss.; Now., II, 263 ss.; Ew., Altt., p. 58.

veritas, imprecando et blasphemando dei sanctitas et maiestas negetur, cf. Bruce, Eth. of. O. T., p. 117. Peccant, qui haec committunt, non solum in proximum, sed imprimis contra deum violantes fas in Israel.

Sed iam satis superque videtur demonstratum esse, quibus praeceptis admoneatur populus, ut ne violet ius dei. Vidimus eandem omnium esse rationem: nituntur omnia in communione dei cum populo foedere facta, exprimitur omnibus: estote mihi sancti. Qua una e ratione orta facile intelliguntur singula praecepta, etsi causae in ipsis rebus positae raro respiciuntur. Populus dei est, ergo deo det, quae deus absoluta voluntate sibi vindicavit. Nil exigitur, nisi ut obtemperetur. Motuum impetuumque, quibus impellatur populus ad obtemperandum, non fit mentio, nisi quod aliquando redemptione e servitute Aegyptia in memoriam revocata populus ad gratiam reddendam admoneri videtur, Lev. 18, 2. 3; 19, 30; 20, 24; 22, 23; 23, 43; 25, 38. 55; 26, 13. 45, quamvis ne illud quidem perspicue dicatur. Nam foedere statuto necesse est obtemperetur, necesse est obtemperando vis et ratio communionis dei cum populo et populi cum deo efficiatur et depingatur.

Cap. XII.

De pietate cordis.

Sed priusquam sententiam ultimam definiamus, quaerendum est, an sint apud P loci, quibus non solum vetetur impie dei iura violari, sed quibus, quae pertinent ad pietatem, imprimis, quae sunt rectae animi affectionis, cf. Wuttke, o. c. I, p. 127; Dillm., Altt. Theol., p. 424 s., praecipiantur et commendentur.

I. Praeceptum dei amandi non occurrit. Quodsi Lev. 19, 14. 32; 25, 17. 36. 43 dicitur וְיָרֵאתָ מֵּאֱלֹהֶיךָ, apparet, hac formula apposita quatuor locis Lev. 19, 14; 25, 17. 36. 43 deterreri homines, ne perpetrent, quae deus abominat; uno loco praecedit hanc formulam praeceptum iubens aliquid fieri. Omnibus autem locis agitur de recte se gerendo in proximum. Animadvertas quoque, quaeso, dici ירא מן timere deum, non ירא את vereri deum (cf. Dillm., Ex. u. Lev., ad Lev. 19, 14 p. 553). Timor dei videtur imprimis timor poenarum eius, quo impellitur homo ad obtemperandum

certis quibusdam praeceptis [1]) vel deterretur a sceleribus, non autem timor dei ipse pietatis est. Solo loco Lev. 19, 32 timor dei videtur gradatio reverentiae natu maioribus et senibus debitae, ceteris locis causa virtutum est, non ipsa virtus.

Quodsi magis a turpiter quam ab impie agendo avocare videtur, demonstratur solum, etiam inhoneste agendo peccari in deum. Sed potuit haec formula adiungi et aliis quibuslibet praeceptis, quia timore dei poenam minitantis semper admonentur homines, ne dei leges transgrediantur. Videmus ergo, timore dei non rectam erga deum pietatem, non rectam animi affectionem describi, sed, quod supra diximus (cf. p. 18), causam omittendi aliquid, et appositis demum praeceptis certum aliquid in notione timoris dei inclusum esse.

Hoc modo reducimur ad unum illud praeceptum omnia continens: servate omnes leges meas, sive, quod idem est, obtemperate voluntati dei, cf. Lev. 18, 4. 30; 19, 19. 37; 20, 22; 22, 31; 26, 3ss.; Num. 15, 39s. etc. Convenit lege a deo data persaepe dici: Secundum omnia, quae praeceperat Jahve (Mosi), fecerunt Israelitae, cf. Ex. 12, 28. 50; 17, 1; 35, 21 ss.; 39, 32 etc.; Num. 9, 5. 23 etc. Idem copiose narratur de Mose, Ex. 6, 9; 7, 6. 20; 8, 13; 40, 16; Lev. 8, 4ss. 36; 16, 34 (Aaron) etc. etc.

II. Sed quo pietas tota, quae apud P postulatur, describatur, oportet rationem haberi et historiae partium, quae legis institutionem praecedunt et prosequuntur. Atque etiam si minores videntur particulae, quam e quibus multa sumantur, quae spectant ad rem, tamen, cum v. g. Abraham Isaak, Jakob, etiam secundum P exempla verae pietatis sint, quaerendum nobis, quidnam ex illis exemplis de pietate discendum sit.

Apparet primum, aliquam pietatem esse et ante et extra legem. Atque quanto pluris aestimatur apud P obtemperantia legis, tanto maioris momenti videtur esse pietas, quae patriarcharum exemplis describitur, cf. Stade, Gesch. Isr. II, p. 147.

Concedendum est, quae dicuntur de pietate Henochi et Noae Gen. 5, 22; 6, 9 (ויתהלך את הא״). maiora esse, quam quae hominibus posteriorum saeculorum tribui possint. Am-

1) cf. H. Schultz, Th. St. u. Kr. 1890, I, p. 41. Wuttke, o. c. II, p. 196s.

bulare in communione dei non solum pietatis summus gradus, sed etiam familiaritatis et necessitudinis, quae sunt per se merces pietatis, (cf. Dillm., ad Gen. 5, 22 c. Ges. Thes. s. v· הלך [ed.[2] I, p. 380]).

Quamobrem ambulare את האל״ maius est, quam quod exigitur ab Abrahamo, Gen. 17, 1 התהלך לפני א״, cf. Ew., L. v. G. IV, § 387, p. 66; Dillm., o. c. ad. v. Coram deo ambulat, quicunque totam vitam ita gerit, ut memor sit dei praesentis et videntis omnia, quicunque nihil committit, cuius causa dei faciem fugere debeat. Et cum Noae et Henochi cum deo communio singularis quaedam virtus et praestantia videatur esse, illud התהלך לפני והיה תמים: ad omnes pariter valet; quicunque circumcisione in populum dei receptus erat, eius erat, hoc praeceptum late patens servare, (cf. Smend, Altt. Rel., p. 332)[1]), quo tota vita circumscribi videbatur magis quam omnibus singulis mandatis. Et animadvertendum est, hic solo de pietatis et probitatis praecepto agi, non de mandatis ad cultum pertinentibus; de fundamento quasi primo, in quo singulae demum religionis (et cultus) leges nitantur.

De Noa dicitur Gen. 6, 9: נח איש צדיק תמים היה בדרתיו; Abrahae Gen. 17, 1 praescribitur, ut sit תמים. Quod attinet notionem vocis צדיק, satis demonstratum est a Kautzsch, (Über die Derivate des Stammes צדק im alttestamentlichen Sprachgebrauch, Tüb. 1881, cf. Kuenen, in Theol. Tijdschr. 1881, [Bd. XV], p. 492 s.), צדיק esse, quod congruit normae. איש צדיק est, qui convenit sive respondet normae a deo constitutae. תמים est perfectus, (Ew., L. v. G., IV, p. 59 s., § 384), sive integer, (LXX ἄμεμπτος, l. c., aliis locis et τέλειος, cf. Ew., l. c. II, p. 252, non solum, qui totum se dedit deo, (cf. Dillm., ad Gen. 17, 1, c. Köhl. I, p. 111), sed cui omnino nihil obiiciendum est. Quam iustitiam et perfectionem ab hominibus nonnisi ex parte praestari posse, neque hoc praecepto dici homines posse peccatis carere, ex universa V. T. incluso P, (cf. p. 11) sententia apparet.

Quae autem sit illa norma, cui congruat Abraham, quae sit illa voluntas dei, cui oboediens homo perfectus fiat, hoc loco non accuratius definitur. Utique continebatur iustitia et perfectione postulata non minus morum honestas quam

2) cf. Schultz, in Th. St. u. Kr. 1890, I, p. 39.

animi pietas. Si ergo ne illo quidem loco ipsa vis et ratio iustitiae et pietatis accuratius describitur, tamen probatur, primum etiam extra religionis ritus latam esse pietatis regionem.

Deinde pietatem et probitatem ita inter se coniunctas et connexas esse, ut utraque pariter a deo postuletur — qua de re brevi longius erit disputandum nobis.

Tum leges quasdam pietatis et probitatis hominum naturae quasi innatas esse, ut leges dei, quamvis voluntate dei nondum verbo perspicue revelata[1]).

Quod etsi non claris verbis dicitur, tamen tota historiae primae narratione, necnon postulata iustitia et perfectione ponitur.

Quae omnia ad recte de libri Elohistici ethica iudicandum maximi mihi videntur momenti esse, praesertim quoad pertinent ad probitatem, cf. infra Cap. XV, II.

Hic nobis de pietate disputantibus illud pro certo habendum videtur, etiam ex sententia P veram pietatem non esse positam solis in religionis ritibus cultuque diligenter exercendo, cum aliter patres non potuerint exempla pietatis, (Stade, „Muster jüdischer Frömmigkeit", l. c., II, 147) proponi. A patribus sabbata celebrata esse, non traditur[2]), neque firmis argumentis probari potest. Atque etiamsi apud P perpauca narrantur, e quibus accuratius de pietate patrum iudicari possit, tamen manifestum est, Gen. 17 ab Abrahamo oboedientiam et fidem promissionis divinae eodem modo praestari quam ceteris locis, quibus de Abrahae fide, (velut Gen. 15, 6 etc.[3]), narratur. Circumcisione enim secundum voluntatem dei facta confitebatur Abraham, fidelem se accipere foederis promissionem, (cf. p. 20 ss.; Valeton, J. J. P. jr., ZATW., XII, 1892, p. 9). Ex eis, quae de ceteris patriarchis raris locis narrantur, nihil de pietate concludi potest. Atque quamvis etiam secundum P Moses omnibus hominibus excellat intima cum Deo familiaritate (cf. Ex. 34, 29 ss.), tamen et Mosis pietas fere semper intra fines obtemperantiae se continet: Jehova loquitur, Moses audita populo nuntiat. Sed etiam secundum P Moses

---

1) contra Schultz, Th. St. u. Kr. 1890, p. 57 s.

2) contra Wellh., Prol.[3], p. 356, cf. Lotz, Quaest. de hist. sabb. I, 9 - 11 cf. p. 41.

3) cf. Dillm., Handb. d. altt. Theol. p. 416.

(et Aaron) precatur pro populo, (Num. 16, 22; 27, 16), neque Mosis et Aaronis inoboedientia silentio praeteritur, (Num. 20, 12 s. 24; [27, 14 R?] Deut. 32, 51), etsi non aperte dicitur, quaenam fuerit inoboedientia illa[1]). Quibus omnibus collatis apparet, recta esse, quae de propria libri Elohistici natura disputavimus, (cf. p. 16 s. 48 ss). Videtur exigi a deo nihil nisi caeca oboedientia legis absolutae; qui diligentius perquisiverit, varia inveniet vestigia, quibus demonstratur, pietatem non perfectam esse servatis singulis mandatis. Concedendum est, non esse nisi vestigia, neque perspicue dici, quaenam ratio intercedat inter pietatem singulas leges implentem, et pietatem ambulando coram deo totam vitam complectentem.

III. Appendix.

Sicut Israelitis, ita et peregrinis intra populum conversantibus et domicilium habentibus, (גר, תושב), certa quaedam praecepta ad religionem pertinentia dantur, cf. Köhl. I, p. 339, Anm. 8; Now., o. c. I, p. 338; Keil, Arch.[2], p. 339 s., 685 s.: Dillm. ad Ex, 12, 49, p. 124 s.

Vetabantur Molochum colere (Lev. 20, 2), blasphemare Jehovam (Lev. 24, 16), profanare opus faciendo diem expiationis (Lev. 16, 29)[2]), (lex sabbati non violandi casu apud P non videtur praescribi), vetabantur edere sanguinem (Lev. 17, 10—16), fermentum habere festo paschae: Ex. 12, 19. Debebant peccato commisso sacrificia piacularia offerre Num. 15, 29: immunditie sive esa cadaverum carne sive mortuis tactis (Lev. 17, 15; Num. 19, 11 ss.) affecti, debebant se lustrare. (Ad mores pertinet interdictum incestus et impudicitiae Lev. 18, 26.) Licebat eis sacrificia offerre (Lev. 17. 8; 22, 18), sed solum secundum ritus a Jehova praescriptos.

Sed inter peregrinos et indigenas nihilo secius diligenter distinguebatur, (cf. Köhler I, l. c.), et sola circumcisione accepta exaequabantur re vera Israelitis, ut eis liceret pascham celebrare, (Ex. 12, 48). Idem et Num. 9, 14, quamvis non perspicue dicatur, poni videtur. Quodsi Abraham et peregrinos circumcidit Gen. 17, 23 ss., non se-

1) cf. Dillm., Num. Deut. u. Jos., ad Num. 20, p. 111.

2) Die expiationis peregrini debebant jejunare et quovis opere abstinere, sicut indigenae (Lev. 16, 29). Nullo modo in contextu significatur, jejunandum esse solis indigenis, cf. Now., l. c.; Köhl I, p. 445, contra Dillm., ad Lev. 16, 29; p. 533.

quitur, ut sententia Elohistae fuerit, peregrinos utique circumcidendos esse. Nam hoc loco agitur de membris familiae Abrahae, imprimis servis, cf. 17, 23. 26 non de peregrinis, qui familiae Israeliticae omnino non adiuncti sunt, sed inter Israelitas domicilium proprium habent. Quae cum ita sint, apparet non dici posse: „Der Ger ist in die Theokratie mit aufgenommen“; Baentsch, o. c. p. 151 quod quidem B. ipse aliqua ex parte resecat, cf. o. c. p. 136 s. Neque praescribitur, ut peregini ullo modo ad fidem populi Israel accipiendam impellantur. Quae facere vetantur peregrini, vetantur, quia quaedam leges Jehovae et morum et religionis videbantur tam fundamentales, ut in terra Jehovae quidem a nemine unquam fuerint transgrediendae. Solutis his legibus maculatur terra Jehovae sancta Lev. 18, 27 s. Leges illae valent pariter in omnes sanctae terrae incolas. Vicissim omnibus terrae incolis ex parte quidem licet sacrificiis deum illius terrae colere. Hoc modo ipsa lege fines legis propagantur, (cf. Kuenen, Volksreligion und Weltreligion, p. 183; Baentsch, o. c. p. 137). Si enim quaedam praecepta ab omnibus et peregrinis et indigenis servanda sunt, necesse est, ea non posse solis in finibus unius terrae valere, etsi nondum perspicue hunc in modum concluditur. Atque etiamsi hae leges magna ex parte nituntur in propriis unius populi sive secundum P unius terrae moribus, (ob eamque rem posterioribus aetatibus abolendae erant), tamen lege dei hac in causa sepes inter populum dei et peregrinos exstructa ex parte quidem diruitur. Licet et peregrinis, quamvis sint Israelitis inferiores, aliquam inire cum deo necessitudinem et consuetudinem[1]), quin etiam circumcisione suscepta in populum ipsum recipi.

Quomodo ab Israelitis peregrini sint tractandi, infra investigabimus.

Cap. XIII.

De familia.

I. Accedimus iam ad alteram propositi partem tractaturi, quae apud P de recte in proximum se gerendo praecipiantur. Praemittimus haec:

---

1) cf Frz. Delitzsch, in Zeitschr. f. kirchl. Wissenschaft und kirchl Leben I, 1880, p. 347.

Primum praecepta huius generis non minus quam praecepta de pietate valent solum, quia dei praecepta sunt. Hac in re quoque bona sunt, quae ex voluntate dei fiunt. Humanitas tota nititur in religione.

Deinde summa horum praeceptorum eadem est quam supra invenimus: estote sancti Lev. 19, 2. Sed nunc „populus sanctus non solum est deo dedicatus, sed deum imitans. Accuratius dicitur, populum, qui foedere factus est deo sanctus, debere se et sanctum praestare, ut deus sanctus est. Maius postulari non potest, quam ea perfectio morum, quae in deo est[1]); cf. Klostermann, o. c. p. 80.

Tum valent haec praecepta fere omnia pariter in Israelitas et peregrinos, vicissim Israelitae iubentur in peregrinos non aliter se gerere quam in populares. Soli servi paulo inferiores sunt. Hac parte quoque postulata morum integritate mores genti proprii vincuntur et abolentur.

Denique omnium horum praeceptorum principium videtur dici Lev. 19, 18: amabis proximum tuum ut te ipsum, quae lex extenditur in peregrinos Lev. 19, 34. Apponitur אני ה", Lev. 19, 18, אני ה" אלהיכם Lev. 19, 34, praecedit, inscriptio omnium praeceptorum Lev. 19, 2: estote sancti, quia ego sanctus sum. Amare proximum videtur ipsius pietatis erga deum esse, et ex conceptu notionis dei deduci. Hoc modo fere attingi, quae a Novo Testamento aperte dicuntur, inter omnes constat[2]). Sed nondum amor erga proximum manat ex amore erga deum[3]), et omissis aliis (cf. Cap. XV, I) multum abest, ut ex amore erga proximum singula praecepta ad mores pertinentia deducantur[4]).

Contra videbimus, etiam huius capitis leges sicut praecepta decalogi imprimis iura proximi tueri, quod ipsa forma earum significatur: vetant saepius, quem iubent, prohibere magis student, ne, quod turpe est, committatur, quam imperant, ut fiat, quod honestum est; volunt statum legitimum fieri potius, quam agi secundum certas quasdam honestatis rationes, cf. Bruce, o. c. p. 71.

---

1) Quodsi deus exemplum imitandum proponitur, apparet non omnes singulas leges ad mores pertinentes ex ipsa dei perfectione deduci posse, ob eamque rem notionem exempli non urguendam esse Utique universa morum integritate populus fit deo similis.

2) H. Schultz, in Th. St. u. Krit., 63. 1890 I, p. 36.

3) cf. Winter: die Liebe zu Gott im A. Test. ZATW. IX, 1889, p. 241.

4) cf. H. Schultz, l. c. p. 42.

Ordinem disputandi de singulis rebus sequemur hunc: disputabimus primum, quaenam praecipiantur de recte se gerendo in societate populi Israel; (Familia, magistratus, populares omnes).

Deinde investigabimus, quaenam valeant leges de peregrinis deque societate generis humani totius.

Denique agendum nobis de rebus vitae naturalis mundique externi recte habendis tractandisque.

Praecepta, de quibus nunc nobis disputandum est, pleraque continentur codice H, quem Deuteronomio simillimum esse constat. Non minus constat, Lev. 19 praeceptis subesse dispositionem decalogi (cf. Dillm., Ex. u. Lev., p. 550: Baentsch, o. c. p. 81). Cum autem et aliorum locorum praecepta comparanda et tractanda sint, malumus ordinem in natura rerum fundatum, quem praemisimus, sequi[1]. Quamobrem primum de praeceptis ad familiam pertinentibus agendum est.

II. De parentibus et liberis[2]) pauca praescribuntur. Vetantur liberi maledicere parentibus Lev. 20, 9, (crimine capitis), iubentur timere matrem et patrem, Lev. 19, 3. Praeponitur mater patri, (quod negligit Horst, Leviticus XVII—XXVI und Hezekiel, Colmar 1881, p. 48), non quia patrem timeri a filiis magis consentaneum videbatur, (sic sententiam priorum (Raschi) secutus Zschokke, das Weib im Alten Testamente, Wien 1883, p. 9), sed, quod ex Lev. 21, 3 apparet, quia temporibus, cum singulis viris plures uxores habere liceret, cum sua quisque matre propinquiore cognatione coniunctus sibi videbatur quam cum patre: (Dillm., Ex. u. Lev., ad Lev. 21, 3 p. 565). Quomodo solum eo, quod parentes aegre ferant aliquid, filii impellantur, ut improbata, quantum possunt, e medio tollant, monstratur exemplo Esavi Gen. 28, 8.

Parentum erga liberos officia apud P et in H diligentius non respiciuntur. Infantes Molocho immolare vetantur parentes non pietatis erga liberos, sed pietatis erga deum causa. Interdicitur, ne parentes filias impellant ad scortandum

1) Aliter Bruce, o. c p. 99—175 (tenet ordinem decalogi).

2) cf. Köhl. I, p. 354; Ew., Altt., p. 251 s.; Now., o. c. I, p. 172 s.; Dillm., Altt. Theol., p. 450; Bestmann, o. c. I, p. 272 s.; F. C. Kübel, die soziale und volkswirthschaftl. Gesezgeb. d. A. T., p. 16 s.

(Lev. 19, 29): licet patribus vota filiarum, donec virgines vivant domi, irrita declarare, si displicuerint, Num. 30, 4 ss.

Quibus e paucis praeceptis cognoscitur, legem magis tueri fundamenta familiae sancta, velut potestatem parentum, quam respicere motus affectionesque animorum. Sed agitur hac in re non de solo statu legitimo, quod apparet praescripta verecundia erga parentes, etsi non tam significatur, quomodo illa verecundia in vita ostendenda sit, quam poena constituitur violatae verecundiae. Observandum est quoque, legem parentum verendorum Lev. 19 primam proclamari earum, quibus tenendis populus se sanctum praebeat, et secundum Lev. 21, 9 eum, qui hanc legem transierit, morte puniendum esse. Judicatur ergo de gravitate huius legis non aliter ac toto V. T.

III. Quae de matrimonio praecipiuntur, et ipsa ante omnia fundamenta morum tuentur. Viris licet plures uxores in matrimonium ducere, Lev. 18, 18, inprimis servas pellices habere, Lev. 19, 20; Num. 31; (cf. Köhl. I, p. 455), quamquam ipsis ex eis, quae de creatione hominis narrantur, Gen. 1, 27, apparet, naturae hominis magis convenire unam uxorem habere. Abraham et Isaak unius quisque uxoris [1]) mariti sunt. Esau et Jacob plures in matrimonium ducunt; Jacob simul sorores duas, quod ne fiat, interdicitur lege Lev. 18, 18 scripta.

Ceterum vetatur cuiusvis generis incestum fieri, Lev. 18, 6—18; 20, 11—21; item adulterium committi, Lev. 18, 20; 20, 10; quibus facinoribus contaminant Israelitae sese et terram Jehovae Lev. 18, 24 ss.

Causae, de quibus matrimonia inter propinquos et cognatos fieri vetetur, non dicuntur. Sed postquam Jehova dixit, se ipsum defensurum has leges Lev. 18, 2, singula praecepta enumerantur, addita saepe formula: mater tua est! patris tui pudenda sunt! Sine dubio propinquitatis necessitudo in memoriam revocatur. Aliis argumentis videtur non opus esse ad has leges firmandas. Quaenam autem sunt causae adeo clarae et perspicuae, ut intellecta propinquitatis necessitudine non debeant dici, nisi horror natura-

---

1) Hagar non uxor Abrahami est, sed pellex a Sarai ipsa ei data singulari quadam ratione. Gen. 16, 3 (15. 16), cf. Dillm., Gen. ad 16, 3; Altt. Theol. p. 448.

lis?[1]) Quodsi contra dicit Bestmann, o. c. I, p. 267: „Er, (horror naturalis sc.), ist auch gar nicht unbedingt natürlich, sondern nur da ist er es, wo eine höhere Anschauung von der Ehe Platz gegriffen hat, d. h. wo man den persönlichen Charakter derselben im Unterschied von der bloss gattungsmässigen Gemeinschaft schätzen gelernt hat", non negamus, „dass eine höhere Anschauung von der Ehe Platz gegriffen hat" in populo Israel, sed has leges dari, quia didicerint Israelitae, „den persönlichen Charakter derselben im Unterschied von der bloss gattungsmässigen Gemeinschaft zu schätzen", in contextu nec dicitur nec poni videtur. Accedit, quod Lev. 18, 3. 24 urguetur „Israelitas his legibus servandis debere se distinguere et secernere a Canaanitis[2]), qui eiusmodi facinora commiserint. Inde non patet, Canaanitas (ut alios populos) horroris illius naturalis expertes fuisse, (c. Bestm., l. c.), cum constet, matrimonia inter propinquos vario modo cum religione et superstitione cohaesisse; (cf. Smend, Altt. Religgesch., p. 328 Anm. 2). Cum ergo apud Canaanitas ex superstitiosis opinionibus abominanda naturae orta esse videantur, in Israel divina lege sanciuntur, quae naturae conveniunt. Videmus hic quoque religionem et humanitatem inter se connexas et coniunctas.

Sed animum intendas, quaeso, legibus talibus, quales in Lev. c. 18 et 20 occurrunt, non iam superstitiones impugnari, quod nullo modo significatur, sed, sicut supra diximus, sancta familiae et rerum domesticarum fundamenta servari; non pertinent ad religionem, sed ad mores. Exempli causa praecepto exigenti, ne quis uxoris viventis sororem in matrimonium ducat, Lev. 18, 18, additur causa ad mores pertinens לִצְרֹר, ut fiat inimicitia, invidia (inter sorores). An lege Lev. 18, 16 scripta etiam interdicatur, ne quis viduam fratris sine prole mortui uxorem ducat necne, dubium videtur[3]), cum hoc loco neque lex de leviratu edita (Deut. 25, 4 ss.), respiciatur, neque ullo modo quidquam de strenuitate huius

1) Ipsa hominis natura abhorret a confundendo amore sexuali cum dilectione consanguineorum; cf. Ewald, Altt., p. 255 ss., 262; Dillmann, Altt. Theol., p. 449; Ex. u. Lev., p. 542 s.; Wuttke, o. c. I, p. 552 ss.

2) cf. Dillm., Altt. Theol., l. c.

3) cf. Frz. Delitzsch, in Zeitschr. f. kirchl. W. u. k. Leben I, 1880, p. 623, Anm. 1.

legis detrahere sive circumscriptionibus eam coercere liceat, contra Keil, ad. l. p. 117. Vicissim recte mihi videtur dicere Smend, o. c. p. 329, Anm. „es ist in keiner Weise abzusehen, wie man aus bloss moralischen Gründen dazu hätte kommen sollen, die Leviratsehe im Sinne des Deuteronomiums zu verbieten“. Sed non sequitur, ut leviratus hoc loco religionis causa („aus prinzipiellen religiösen Bedenken“, Baentsch, o. c. p. 151, sed cf., quae disputet de hac re p. 139), sive superstitionis (Smend, l. c.) causa prohibeatur[1]) Omnino nullo modo significatur, aliam legem nova lege a b o l e r i, neque inter priores et posteriores Israelitarum mores discernitur, sed inter Israelitas et Canaanitas. Sed statuta lege communi, Lev. 18, 6 „ne quis appropinquet consanguineis (שאר בשרו), et enumeratis variis exemplis[2]) consanguinitatis, de quibus haec lex valet, videbatur necesse esse nullum consanguinitatis genus excipi, et legem in omnes casus singulos extendi. Principium statutum constanter obtineatur. Matrimonium inter propinquos incestus est, cf. Lev. 20, 21), ergo et matrimonium fratris cum uxore fratris.

Quodsi hoc modo lex repugnare videtur veteribus et aliis legibus sancitis moribus, respondeo, has duas leges primum facile potuisse conciliari, cf. Dillm., l. c., (quamquam rursus dicimus, lege ipsa hoc n o n fieri) deinde contrarias inter se sententias (meo enim judicio pro certo habendum est, legibus Levitici allegatis omnia omnino consanguineorum matrimonia excludi —), contrarias, dico, sententias per longa saepe temporum spatia in uno populo simul haberi. Qua de re nobis hic fusius disputandum non est.

Praeceptis, quae dantur sacerdotibus et pontifici maximo de non in matrimonium ducendis meretricibus, debilitatis, repudiatis, vel, (pontifici quidem maximo), viduis Lev. 21, 7. 14, monstratur, matrimonium intellectum esse necessitudinem et coniunctionem intimam, ita ut maritus non potuerit non particeps fieri immunditiei uxoris. Qua de causa, quibus

---

1) Quod eo minus probabile videtur, quo quis noviorem crediderit codicem H. In lege leviratus, qualis est in D, animarum cultûs nullum invenitur vestigium, cf. Nowack, o. c. I, p. 345. Idem valet de nostris locis Lev. 18, 16; 20, 21.

2) Non fit mentio incestûs patris cum filia. Cf. Dillmann, Ex. u. Lev., p. 542.

ad deum accedendum est, non licet nisi ab omni vitio et macula vacuas habere uxores.

IV. Matrimonia cum mulieribus Canaaniticis facta etiam a P improbari, licet concludere ex eis, quae de uxoribus Esavi Hethiticis dicuntur, Gen. 26, 34 s.; 27, 46; 28, 8 s. Neque vero his locis eiusmodi matrimonia religionis causa damnantur, sed solum Isaac et Rebecca aegerrime tulisse istas mulieres dicuntur, neque ipsa lege P quidquam in hac re perspicue sancitur. Num. 31, 18 vel iubentur Israelitae virgines Midianiticas intactas sibi servare, sine dubio, ut eas sibi assumant servas et pallaces, (cf. Deut. 21 ss. et Dillm., Num. p. 190). Quod attinet Num. 25, 6 ss., probanda primum sententia dicentium, vss. 1—5 Jehovistae esse tribuendos (cf. Wellh., Comp. d. Hex., Skizzen und Vorarb. II, p. 111, contra Nöldeke, Untersuchungen zur Krit. des Alt. Test., p. 87 s.). Deest ergo initium narrationis Elohistae. Deinde Num. 31, 16 verba על דבר פעור a plurimis (cf. Dillm., o. c. p. 190; Wellh., o. c. p. 112; Kautzsch, Das Alt. Test. übers. etc., p. 175) R(edactori) tribuuntur. Quamobrem non potest firmis argumentis probari, stuprum, de quo hic narratur, colendi deos Moabiticos sive Midianiticos causa factum esse, cf. Köhler I, p. 327 s. Quod non plus probari potest ex Num. 31, 16 למעל מעל[1]), cum vox מעל omnis generis perfidia in Jehovam commissa intelligi possit.

Vicissim ne hoc quidem, quod probat Wellh., l. c. p. 112 s.; Prol.[3], p. 372 s., mihi verisimile videtur. Dicit W. (Prol., l. c.), subesse huic historiae rationem: „Dass das Heiraten fremder Frauen schon an sich ein Abfall von Jahve, ein Bundesbruch sei“[2]). Certe concedendum est, totam sententiam et voluntatem legis abhorrere a connubiis cum gentilibus[3]), sed hoc loco non agitur de veris matrimoniis, sed de stupro; neque ullo modo significatur hoc loco, matrimonia cum alienigenis omnino non fieri debere. Sed ipso stupro et sexuum libidine populus se ipse et Simri iste castra Jehovae sancta polluerat. Ipsum stuprum causa fuit plagae a deo missae (cf. I. Kor. 10, 8), (cf. Wellh., l. c.); omnes autem aliae rationes videntur mihi textui non recte

---

1) Pro למסר lege לִמְעָל, cf. Dillmann, ad l, p. 190.
2) cf. Stade, Gesch. Isr. II, p. 150.
3) cf. Köhler I. p. 455.

subiici. Quaenam uxoribus mariti praebere debeant, et quomodo vita in matrimonio degenda sit, non praescribitur, cum, quae alibi de hac re datae erant leges, valerent: cf. Köhler I, p. 456. Licet marito vota uxoris, si displicent, irrita facere, Num. 30, 13; cf. p. 77, (67).

V. Agemus hoc loco et de ceteris praeceptis pudicitiam et castitatem exigentibus, quae etiam in V. T. artissime coniunguntur cum praeceptis de matrimonio, cum et illis sanae vitae familiaris fundamenta sanciantur.

Gravissimis poenis afficiendus est, qui adulterium commiserit (Lev. 18, 20; 20, 10; cf. Dillmann, Altt. Theol., p. 446), imprimis cum iusta alterius uxore, quo facinore terra et incolae eius polluuntur. Minore poena afficiendus erat, qui adulterium cum serva alterius commiserat, Lev. 19, 20 s. Agnoscenda hac parte imperfectio quaedam V. T. Simili modo vetus sententia gentium orientalium, qua a viro non eadem castitas integerrima exigitur, quae a femina (cf. Dillmann, l. c.), nondum perspicuis praeceptis aboletur, id quod, etiamsi totius legis ratione appetitum et significatum, fieri non poterat temporibus, quibus viris plures simul habere uxores licebat. Sed nec aperte viris vaga cupiditatis libido conceditur.

Contra omnis generis stuprum perversum et quaevis perversa naturae libido prohibetur, velut stuprum masculorum cum masculis Lev. 18, 22; 20, 13; hominum cum animalibus, Lev. 18, 23; 20, 15. 16 faciendum; deinde concubitus feminae temporibus purificationis Lev. 18, 19; 20, 18, tum prostitutio filiarum Lev. 19, 29; cf. 21, 9.

Eiusmodi mores Cenaaniticos, Lev. 18, 24 ss., cohaerere cum superstitione, probat Smend, Altt. Religionsg., p. 328 Anm. 2. Sed leges tales, quales legimus Lev. c. 18 et 20, videntur non superstitionem impugnare, sed impudicitiam et lasciviam, quibus terra Jehovae maculatur. Cur hae res abominabiles dicendae sint, non opus fuisse videtur, ut longius explicaretur. Sufficit populo scire, deum abhorrere ab istis. Cum autem dicantur gentes se polluisse istis facinoribus ita, ut a terra evomitae fuerint, apparet, has leges quodammodo cum natura terrae connexas esse, utique esse tales, quales impune omnino non possint violari in terra Jehovae. Etiamsi igitur ipsa morum castitas expressis verbis non postulatur a lege, tamen hac in causa magis quam ulla alia parte perspicuum est, vetito peccato exigi

virtutem; quid enim est vetare impudicitiam nisi iubere castitatem? Apparet ipso loco, in quo ponitur lex de non committendo adulterio (Lev. 18, 20 inter v. 19 et 21; Lev. 20, 10 inter 20, 9 et 11), hic adulterium non solum vetari, quippe quo in possessionem alterius invadatur, sed quo et fundamenta morum omnia evertantur. Quodsi praecipitur, ut filia sacerdotis scortata comburatur, Lev. 21, 9, clarum est, sententiam fuisse, eiusmodi facinora eo abominabiliora esse, quo quis deo propior sit.

Cernimus ergo hoc quoque exemplo omnia praecepta ad mores pertinentia postremo oriri ex religione, religionis causa et puritatem morum exigi.

VI. Ex lege de uxore adulterii suspecta (Num. 5, 11 ss.) haec fere videntur pertinere ad nostram rem:

primum soli marito, non uxori licet, hoc modo deum consulere; quamquam secundum Lev. 20, 10 et adulter et adultera morte afficiendi sunt, tamen hic quoque cognoscitur, aliam exigi fidem matrimonialem ab uxore, quam a marito;

deinde adulterium est peccatum in ipsum deum commissum; ipse deus ultor sanctitatis matrimonii;

tum femina adulterii suspecta non condemnanda est ex sola viri suspicione, sed licet ei iure iurando removere suspicionem a se.

Totum sacrificium, cuius de singulis ritibus[1]) hic nobis disputandum non est, nititur et continetur fiducia, deum iure iurando invocatum confestim vindicaturum esse violatam legis sanctitatem. Aquae amarae non solum symbolum, sed vehiculum sunt maledictionum inferendarum. Accipiunt, si mulier noxam contraxerat, a deo vim mirificam. Cum ergo hoc modo dei poena annectatur ad rem vilem et naturâ innocentem, concedendum est, hac in lege (sane veterrima), apparere imperfectionem quandam V. T., quamquam et hic rationes et religionis et morum rectissimas subesse non potest negari.

VII. Familiae sunt et varii generis famuli et ancillae, mercenarii et servi cum Israelitici tum gentiles. Quae de

---

1) cf. Ewald, Altt., p. 273; Köhler I, p. 361 Anm. 3; 407 ss.; Dillm., Num., p. 27 ss.; Keil, Arch.², p. 313 ss.; Benzinger, Arch., p. 146; Now., Arch. II, p. 249 ss.; Oehler, Altt. Theol.², p. 497 ss.; Dillm., Altt. Theol., p. 446.

eis praecipiuntur, ex parte quidem et ad nostram rem pertinent[1]).

Mercenarii solo pacto, quod inierant, familiae coniungebantur, qua de causa eis, si operam suam sacerdotibus locaverant, non licebat edere de sanctis oblationibus (Lev. 22, 10). Si peregrini erant non circumcisi, neque pascham celebrare eis licebat. Ex. 12, 45.

Pactum mercenariis praestandum esse, per se manifestum est, praeterea benignitate in eos utendum est, Lev. 25, 6; merces eis debita ne retineatur in diem proximum, Lev. 19, 13.

Servi Israelitici non eodem modo tractandi erant, quo servi ex gentibus finitimis vel a peregrinis empti aut bello capti, Lev. 25, 39 s. 42—46. 53 ss., sed ut mercenarii habendi. (Lev. 25, 40), cf. Mielz., p. 31 s.

Primum eis non imponenda erant servorum opera [gravissima] (Lev. 25, 39).

Deinde licebat eis, quovis tempore sese redimere sive redimi a propinquis (Lev. 25, 48 ss.).

Tum anno iubilaeo libertas gratis eis restituenda erat (Lev. 25, 40 ss.; 54).

Omnino non dure in eos consulendum erat nec a popularibus (Lev. 25, 46), nec a peregrinis (Lev. 25, 53).

Haec omnia praecipiuntur non tam ipsius humanitatis vel iustitiae, quam religionis causa. Israelitae omnes sunt Jehovae, qui eos redemit ex Aegypto, Lev. 25, 42 s. 55), Jehovae servi sunt, non hominum, ergo non tractandi a quoquam, ac si sui ipsius essent.

Servos Israeliticos ab Israelitis et in terra Israelitarum aliter habendos esse quam gentiles, facile comprehenditur, neque propriae gentis studium, quod hac in causa apparere concedimus, gravius improbandum et condemnandum esse putamus; multo magis velim animadvertatur, eum, qui hanc legem transgressus fuerit, peccare non solum in populum suum (fratres suos Lev. 25, 46), sed in deum (cf. L. 25, 43).

1) cf. Köhler I, 458; Now., o. c. I, p. 173. 179. 180; Bruce, o. c. p. 184 ss.; Dillmann, Altt. Theol., p. 438 s.; Bestmann, o. c. p. 274 ss.; Ewald, Altt. p. 280 ss.; Luthardt o. c. p. 40 s.; M. Mielziner, die Verhältnisse der Sklaven bei den alten Hebräern (Kopenhagen 1859); Benzinger. o. c. p. 159 ss.; Wuttke, o. c. II, p. 535 s.; F. E. Kübel, die soziale u. volkswirthschaftl. Geseczgeb. des AT., p. 70 ss.

Sequuntur, quae humanitatis sunt, religionem, et religione putatur perfici posse, quod propriae gentis studio et naturae humanitate non poterat perfici. Religionis ratio multo gravior videtur quam humanitatis et propriae gentis studii. Non quia eiusdem populi, sed quia Jehovae est servus Israeliticus, aliter tractandus est ac gentilis.

Servi gentiles[1]), sive bello capti, sive a gentibus finitimis empti, sive progenies servorum circumcidendi erant (cf. Gen. 17, 12. 27), quo prorsus in familiam reciperentur. Servis circumcisis licebat pascham celebrare, Ex. 12, 44; de servis circumcisis agitur sine dubio et Lev. 22, 11, quo loco servis sacerdotum permittitur, ut edant de sanctis donis.

Etsi servis Israeliticis inferiores erant et, (nisi manumittebantur cf. Lev. 19, 20), in perpetuum servi manere debebant (Lev. 25, 46), tamen nullo loco conceditur lege, ut, si non Israeliticos servos (Lev. 25, 43. 46), tamen istos vexare liceat. Sed et ipsi benignitate afficiendi erant (Lev. 25, 6), et dubium non est, quin, quae praecipiuntur Lev. 24, 17 ss., valeant et de servis. Praeterea non abrogantur leges aliis locis de servis habendis datae.

Pudorem servae minoris aestimatam esse quam iustae uxoris (cf. Lev. 19, 20 s.), supra diximus, nec non, quomodo de hac re iudicandum sit, cf. p. 81; Mielz. p. 60.

VIII. Appendix.

Cum respublica Israelitica (ex sententia thorae Elohisticae) non rerum civilium et humanarum, sed divinarum causa constituta sit, magistratuum publicorum fere nulla fit mentio. Etsi sunt principes tribuum[2]), Num. 1, 4 ss. c. 2: c. 7; 16, 2; 26, 9 etc., tamen nunquam accuratius describitur[3]), quaenam sint munera eorum perpetua, sed solum in certas quasdam occasiones novis semper praeceptis singulis reguntur, cf. Num. 7; 30, neque diligentius praecipitur, quae eis praestanda sint. Moses, penes quem summum imperium est, et cui fere semper (cf. autem Num. 14, 10; c. 16 s.; c. 20 etc.) dicto audiens est populus, accepit summam rerum a deo, similiter Josua iubente deo manibus

---

1) cf. Mielziner, o. c. p. 48 ss.; 53 ss.; 61 ss.

2) Jos. 20. 4 ss., quo loco et mentio fit seniorum, qui in singulis oppidis res publicas administrabant et ius dicebant, non sunt Elohistae, sed aut Deuteronomistae aut R. (desunt in LXX); cf. Dillmann, Num. Deut. Jos. p. 569).

3) cf. Stade, Gesch. Isr. II, p. 143.

a Mose impositis spiritu sapientiae impletur (Deut. 34, 9 P), et dux et pastor populi Israel constituitur (Num. 27, 15 ss.). Quaecunque fieri iubent Moses et Josua, iubent, non quia ipsorum, sed quia dei mandata sunt. Qui restiterit, deo repugnat, non hominibus.

Data lege populo non videtur opus esse multis magistratibus civilibus. Praeter deum iudicem et ultorem, potentia est ecclesiae totius, et imprimis sacerdotum et pontificis maximi, quorum quidem munera omnia ad religionem pertinent: cf. p. 36 s.

Ceterum hic quoque addimus, ipsa raritate legum de magistratibus monstrari, valuisse et alias consuetudines et praecepta varia, quae apud P non respiciuntur.

Cap. XIV.

De societate popularium.

I. Maioris momenti mihi videntur esse, quae praecipiuntur de recte se gerendo in proximos, imprimis in populares.

Ante omnia legis praesidio tegitur sacrosancta hominis vita[1]). Haec lex valet secundum Gen. 9, 4 in totum genus humanum (vel ab animalibus ipse deus poenam sanguinis hominum effusi petiturum se pronuntiat Gen. 9, 5). Nititur hoc praeceptum ipsa in religione, homines enim omnes sunt imagines dei, ergo fratres (l. c.). Apparet lege hoc argumento firmata fines moribus unius populi positos transiri et propagari (cf. p. 88 s.).

In populo Israel variis praeceptis caedes, quantum poterat, prohibetur. Homicida caedis coargutus sine venia occidendus est, Lev. 24, 17. 21; Num. 35, 21. 33, nec ullo pretio caedes expianda est, nisi vita eius, qui occidit, Num. 35, 33.

Sed ipsam ob eam strenuitatem poenae puniendi homicidae modus et ratio certis regulis circumscribitur. Pluribus testibus confirmantibus culpam opus est ad condemnandum Num. 35, 30. Si non consulto caedes commissa fuerat,

1) cf. Dillmann, Altt. Theol., p. 433 s.; H. Schultz, Altt. Theol.[5], p. 357; Oehler, Altt. Theol.[2], p. 363 ss.; Köhler I, p. 355 s.; Now., Arch. I, p. 329 ss.; Benzinger, Arch., p. 335 s.

licebat homicidae in asylum confugere, Num. 35, 11 ss. Ibi manendum erat usque ad mortem pontificis maximi, qua poena certe non levi monstratur, caedem hominis utique esse rem gravissimam.

Etsi igitur crudelis mos exigens, ut poena sanguinis domestici petatur a consanguineis, non plane exstirpatur, tamen conscientia periculi et criminis omni modo acuitur et incitatur. Testes primi accusatum et coargutum ab ipsis occidant, hi culpam praestent, si fuerit damnatus iniquo iudicio circumventus.

Hoc modo tuetur lex sanctitatem vitae hominum. Eadem ratio subest et iuri talionis, Lev. 24, 19 ss.[1]). Finis harum legum est, ut poena iusta imponatur: non praescribitur, quid singuli facere debeant singulis, sed quae rationes iudicandi sequendae sint iudicibus, scilicet ut summa utantur iustitia et aequitate, ne crescat et serpat contemptio vitae et sanitatis proximi.

Sequitur autem, ut non licuerit, (nec magistratibus, nec singulis), gravius, quam meritus erat, in quemquam consulere, ne irae nimis indulgerent animi cupiditate ulciscendi ardentes.

Sed hac in parte etiam maiora lege exiguntur ab Israelitis; vetatur enim, (Lev. 19, 16—18, cf. Dillm., Ex. u. Lev., p. 553; Köhl. I, p. 355; Baentsch, Hlgkges., p. 140, Bestmann o. c. p. 327 s.), odium proximi, iracundia, ulciscendi cupiditas, vetatur et iudicium capitale proximo flagitari et postulari, contra proximus libertate admonendus est, ne odio animi culpa contrahatur, denique iubetur: „diliges proximum tuum ut te ipsum.“ Hoc loco etsi de popularibus agitur[2]), tamen animadvertendum est, non solum certa opera, sed motus affectionesque cordis respici, et, quod non minus grave videtur, non solum ne, quod turpe est, fiat, interdici, sed et, quod honestum et bonum est, perfici iuberi.

Sequitur, ut et alia, quae humanitatis et benignitatis sunt, commendentur, velut ne opprimatur infirmior et inermis, Lev. 19, 13. 14: ne quis damno immerito surdi et caeci abutatur, Lev. 19, 14; ut pauperes adiuventur non

---

1) cf. Schnell, Das israel. Recht, p. 36 ss.; Bestmann, o. c. p. 328 s.

2) de peregrinis v. infra p. 87 s.

colligendis eis, quae omissa sunt bonorum agri et vineae; Lev. 19, 9. 10[1]).

II. Et sicut vita, ita et proximi possessio legis praesidio obtegitur vetito quovis furto, (Lev. 19, 11) et fraude, (Lev. 19, 11. 35 s.), modis mensurisque iniustis, sive infitiando committenda. Rapta, suppressa, dissimulata reddenda sunt addita quinta pretii raptae rei parte, Lev. 5, 20 ss., praeterea deo sacrificium culpam expians offerendum est, (אשם Lev. 5, 21 s.), cum et his rebus peccetur non solum in proximum, sed in deum. Denique omnis generis improbitas et iniustitia, qua proximus damnum capere possit vitae, possessionis, famae hominum, prohibetur; vetatur v. g. infamiam concitari proximis Lev. 19, 16; falsum edi testimonium, cf. Lev. 19, 12; sive testimonium detrahi, Lev. 5, 1 s., cum iniquitate ius dici, Lev. 19, 15.

Quae omnia facere iubentur Israelitae nullis additis argumentis nisi interposita aliquando formula: ego sum Jehova, deus vester. Omnia igitur praecepta illa per se intelliguntur a populo Jehovae. Quibus omnibus legibus servandis sanctum se praestare debet, ut deus sanctus est. Deus sanctus vindex integritatis morum est.

Cernimus igitur, his legibus religionem et morum integritatem artissime coniunctas: non solum turpia vetari, sed et honesta exigi, non solum singula opera, sed et cordis motus respici.

Sed concedendum est plurimas harum legum agere solum de recte se gerendo in populares[2]). Sed necesse erat, imprimis religione, qualis est apud P, dirumpi haec vincula. Qua de re iam agemus.

Cap. XV.

De peregrinis legibusque hominum naturae innatis.

I. Quaenam praecipiantur peregrinis leges ad religionem pertinentes, iam vidimus. Quod attinet mores, rarius peregrinis praescribitur, quid faciant, (cf. Lev. 25, 47 ss.), quam Israelitis, quomodo se gerere debeant in peregrinos.

---

1) Plures etiam eiusmodi leges occurrunt in Deut., necnon in Ex. 20—23; cf. etiam Lev. 25, 36 ss. (pecunia non fenori danda cf. p. 88).

2) cf. Baentsch, o. c. p. 135; Luthardt, Gesch. der chr. Ethik I, p. 39 s.

Maximi autem momenti est primum, peregrinos eodem iure esse, quo indigenas, quae lex saepe commendatur. Lev. 24, 22; cf. Ex. 12, 49; Num. 15, 15. 29; cf. Now., Arch. I., p. 338. — Vita (Lev. 24, 17), possessio (v. 18), sanitas (19 s.) peregrinorum lege non minus teguntur quam popularium. Omnino apud P nunquam aperte dicitur, quidquam, quod non committendum est adversus populares, licere committere adversus peregrinos. Ne pecunia quidem ut fenori peregrinis detur, perspicue conceditur, (cf. Deut. 23, 20 ss.), sed Lev. 25, 35 s. solum interdicitur, ne popularibus (ut fratribus) hoc modo vis inferatur.

Contra et peregrini non sunt opprimendi Lev. 19, 33, sed benignitate in eos utendum est, Lev. 19, 10; 25, 6: quid dicam, quod iubentur Israelitae peregrinos diligere[1]), ut se ipsos, quia et ipsi fuerint peregrini in terra Aegypti, Lev. 19, 34, cf p. 69), i. e. quia experti erant sortem peregrinorum. Sancitur ergo ipsa dei voluntate humanitas et misericordia, quas ut miseris praestemus, eiusdem miseriae experientia admonemur.

Apparet toto V. T. non facile inveniri locum, quo maiora et perfectiora praecipiantur, (cf. Schultz, Theol., Stud. u. Krit. 63, 1890, I, p. 36): quamquam nondum cognoscitur, hoc praecepto latissime patente revera omnia alia morum praecepta contineri. Adiungitur enim ceteris legibus de non ulciscendo, irascendo. opprimendo alterum, non hae leges ex illa oriuntur, cf. p. 75. Amor proximi magis (ut res contraria) opponitur odio et iracundiae et duritiae, quam omnium actionum summa ratio proponitur. Neque tantum valet hoc praeceptum, ut mores quidam crudeles priorum temporum prorsus aboleantur et eradicentur, velut ultio sanguinis familiarium aut exstirpatio gentium, (חרם cf. Num. 31 et p. 90 s.), cf. Sellin, Beiträge zur israelitischen und jüdischen Religionsgeschichte I, (Leipz. 1896), p. 213 s.

II. Sed manet hoc: in codice H a P recepto lege amandi etiam peregrinos proposita termini moribus unius populi constituti dilatantur. Potest autem idem dici et de thora Elohistica ipsa. Historia enim Elohistae, qua praeparantur et instituuntur leges, non solum omnium omnino morum fundamenta describuntur, cf. p. 10 s. sed etiam

1) Omittit hoc Luthardt l. c.

rationes quaedam ponuntur, ad mores pertinentes, quae de toto genere humano valent. Enarrata historia creationis mundi hominumque cognoscitur v. g. unitas totius generis humani, in qua omnis humanitas nititur[1]). Homo hominis frater est. (Gen. 9, 5, sub lege hoc quidem solis de Israelitis praedicatur; cf. Lev. 19, 17; 25, 35 s. 39. 46 s.). Vita cuiusvis hominis sacrosancta est, quia deus hominem secundum imaginem suam fecit. Ob praestantiam igitur homini a deo datam vita hominis summi aestimatur (cf. p. 85). Et quia omnis vita dei auctoris est (cf. p. 67), omnes homines vetantur carnem cruentam edere, quae lex quomodo spectet ad humanitatem morum, iam vidimus (cf. p. 67)[2]). Atque etiamsi non certa morum praecepta dantur, tamen manifestum est, etiam apud P sententiam esse, quasdam leges morum naturae hominum quasi innatas esse, quae impune non laedantur. Et quae laudantur de Mose et Henocho, cum scriptum legamus, fuisse eos iustos et integros, quaeque vituperantur de ceteris, cum dicatur, omnem carnem viam suam perdidisse in terra (Gen. 6, 12 b), ad mores et pietatem pariter pertinere supra diximus. Utique demonstratum esse videtur, ipsius Elohistae historia fundamenta morum non unius solum populi, sed totius generis

---

1) Eadem ratione intelligantur et longae generationum enumerationes, Gen. 5; 10; 11 et c., quibus et ipsis omnes homines inter se cognatos esse demonstratur, ceterum cf. W. Lotz, Geschichte und Offenbarung im A. Test., (Leipz. 1891), p. 268.

2) Quodsi, Stade, Gesch. Isr., Bd. II, p. 145 s. dicit: „Wird eine solche Enthaltung allen Menschen zugemuthet, so ...... verräth sich darin, dass der Verfasser eine Gestalt der messianischen Hoffnung kennt, nach welcher die Heiden am Culte Israels werden Antheil haben wollen. Die Forderung der Enthaltung von Blut stellt dann das mindeste vor, was von solchen Heiden verlangt werden muss", concedendum est, hanc legem de non edenda carne cruenta connexam esse cum praeceptis ritualibus, sed hoc ipso loco ratio cultûs non urguenda videtur, cum in contextu quidem haec lex sola ex sacrosanctitate omnis omnino vitae deducatur. Et curnam hoc, non aliud quidquam (idololatria, incestus, cf. p. 73 s.) respiciatur, non apparet. An potuerunt revera pagani et gentiles hac lege servata communionem cultus Israelitici accipere? Nonne ad hoc multis aliis rebus servandis opus erat, quae eiusdem momenti erant ac abstinentia sanguinis? (cf. p. 23 ss.; 62 ss.; 77 ss.). Contra quia huius praecepti (Gen. 9, 4) ratio non solum ritualis, sed etiam pietatis et humanitatis cuiusdam esse videbatur, (cf. v. 5 et p. 67), non solum in Israel, sed in omnes homines valere dicebatur.

humani poni; (cf. Wellh., Isr. u. jüd. Gesch.[1], p. 145; Kuenen, Volksreligion und Weltrel., p. 176 s.). Quae omnia postremum orta esse ex puritate et perfectione cognitionis dei, quae est apud P, non opus est, ut ostendatur a nobis.

Ex quo deus foedus cum Abrahamo constituit, magis magisque discrimen inter familiam, gentem, populum a deo electum et ceteras gentes respicitur. Abraham, quamvis peregrinus, tamen נשׂיא אלהים est inter incolas terrae, (cf. Dillmann, zu Gen. 23, 6). Sed pretium, quod sine dubio maximum esse vult narratio, (cf. Nöldeke. Unterss. z. altt. Krit., p. 24, Anm. 1), non cunctatus neque quidquam detrahens exsolvit, formasque iuris mercaturae accuratissime sequitur. Rebecca et Isaac offenduntur mulieribus Hethiticis ab Esau in matrimonium ductis, Gen. 26, 35; 27, 46; postquam ex familia populus factus est, data lege proprietas eius sancitur, et debet populus servanda lege se discernere a ceteris gentibus; cf. Lev. 18, 3 s. 24 ss.; 20, 22 ss.; Köhler, Israels Erwählung (Köln 1867), p. 7 s.; Dillm., Altt. Theol., p. 452 s.; R. Smith, Das alte Test., d. v. Rothstein, (Freib. i/B. u. Leipz. 1894), p. 260 s.

III. Quomodo populus Israel se gerere debeat in alios populos, diligentius nullo loco describitur; et pauca sunt, quae ex historia rerum gestarum de hac causa concludi possunt. Datum gentibus iusiurandum utique servandum esse, monstratur exemplo principum, qui promissionem Gibeonitis datam explent vel fremente populo toto, Jos. 9, 18 ss. (P).

Sed concedendum est, sicut iam supra significavimus, crudelitatem morum bellicorum etiam apud P non impugnari, velut si Israelitae iubentur gentem Midianiticam, (exceptis virginibus intactis, exstirpare nulla ratione aetatis et sexus habita Num. 31. Idem praeceptum de Canaanitis editum subest variis illis legibus de partienda sorte terra Cenaanitica, (Num. 33, 50 ss.; 34, 1 ss.; Num. 33, 52. 53. 55. 56 non P, sed R tribuendi sunt, cf. Driver, Introduction[5], p. 65; Nöldeke, Unterss., p. 92). Quamvis gravis fuerit Midianitarum culpa, historia talis, qualis narratur Num. 31, praesertim, si rationem habuerimus numerorum v. 26 ss., nobis videtur „ungereimt und grauenhaft“, cf. Wildeboer, die Litteratur des A. T., übers. v. Risch, (Göttingen 1895), p. 325[1]). Sed narratur de hoc

1) cf. Kuenen, Godsdienst II, p. 88 s.

bello solum, ut praecepta de purgandis militibus et distribuenda praeda annectantur. Ceterum videmus et hoc loco, rationes veras et iustas subesse rebus, a quibus nostri animi abhorrent. Significatur enim primum, peccatum a populo Jehovae commissum summa strenuitate puniendam et exstirpandum esse, deinde obtemperare et dicto audientem esse deo, summam esse virtutem, cf. v. 14 ss. Sed modus haec perficiendi imperfectus est et a vera dei natura admodum abhorret, cf. Jona 4, 11.

Cap. XVI.

De natura rationis experte.

1. Extremo iam capite agendum nobis de eis, quae praecipiuntur de rebus naturae mundique rationis expertis, recte habendis et tractandis.

Quodsi autem de hac re disputandum est, unde incipiamus, nisi de Gen. 1, 26. 28: dominamini in totam terram? Hoc praecepto homini datur plenum ius possidentis, sicut dominus ex rebus suis, ita homo ex tota terra utilitatem sibi capiat; opes, bona, vires mundi (laborando) in suum ipsius bonum convertat[1]); non homo naturae est, sed natura hominis. Atque etiamsi non distinctius dicitur, quemadmodum et quem in finem homo debeat mundo imperare eoque sibi uti, tamen non opus est omnibus consentientibus longius demonstrare, hac una lege simul omnia praecipi, quae sunt cultus humani civilisque („Kulturaufgaben“), cf. Wellh., Prol.[3], p. 321; Dillm., Altt. Theol., p. 363, v. Frank, Syst. d. chr. Sittl. II, p. 330 ss.; (Wuttke, o. c. I, p. 510 s.; 514 ss.).

Sicut imago dei in homine manet, ita et haec lex valet in posteros; cf. Gen. 9, 1 ss. Sed vario modo potestas illa hominis, quam accepit in naturam, circumscribitur.

Prima aetate hominibus dantur soli arborum fructus herbarumque semina, unde victum sumant[2]). Vita omnino

---

1) Ipsa quoque narratione creationis mundi; quae legitur Gen. 1, significatur mundum factum esse, quo homo, finis et corona quasi creatarum rerum, utatur, (cf. Köhl. I, p. 28, qui profert et aliam rationem, l. c. p. 27).

2) Hanc esse sententiam Elohistae apparet comparatis vss. Gen. 1, 26 s. cum 9, 3; (cf. Dillm. ad Gen. 1, 29 s.). Aliter rem se habere secundum sententiam Jehovistae (cf. Gen. 4) probatur

non violanda et detrahenda videbatur, nec hominum nec animalium in mundo a deo creato. Corrupta demum peccatis hominum natura conceditur a deo, ut homo carne animalium vescatur, sed et tum vita, quae sanguine continetur, quantum potest, sancitur, cf. p. 66 ss.

II. Data lege de possessione populi Israel et de opibus singulorum Israelitarum recte habendis varia praescribi, ex parte supra demonstravimus[1]. Ipsa ex religione oritur et hac in causa sententia legis aequissime et iustissime praecipientis, quomodo res a hominibus possideri debeant.

Huc pertinere videntur fere haec:

primum tota terra populi Israel omnesque fructus, bona, opes eius, denique omnia, quae sunt Israelitis, re vera dei sunt, et a deo solum beneficia data et commissa sunt; cf. p. 49 ss.; Bestmann, o. c. p. 281, Kuenen, Godsdienst II, p. 194 s.

deinde ob id ipsum consentaneum est, esse ius possidentis, neque reputatur neque argumentis firmatur hoc ius naturae insitum, sed lege sancitur solum, ne quis ullo modo, quae proximi sunt, iniuste sibi acquirat: cf. p. 87 ss.; Kübel, o. c. p. 40 ss.

tum vario modo benignitate et misericordia commendata admonentur singuli, ut, quae ipsorum sunt, convertant et in alterius utilitatem: cf. p. 87 ss.; Kübel, o. c., p. 54 ss.; 57 ss.

III. denique ubique leges rerum naturae innatae et deo creante sancitae servandae sunt. Non commiscenda, quae naturâ secreta sunt, cf. Köhl. I, p. 357; Ew., Altt., p. 213 ss.; Schnell, das israel. Recht. p. 38 ss.; Keil, Arch.², p. 578 s.; Benz., Arch., p. 209 etc.

Vetantur Israelitae Lev. 19, 19 coeundi potestatem facere pecoribus duplicis generis (כִּלְאַיִם), agros conserere seminibus duplicis generis, vestibus ex filis duplicis generis (velut ex lino et lana) contextis uti. De ratione ac fine horum praeceptorum nihil potest dici, nisi, quia natura, qualis a deo creata est, sancta videbatur esse, non a hominibus commiscenda fuisse, quae deus separavit. Quod

---

argumentis a Köhl. I, p. 33 Anm. 2 allatis contra Hofm., Weiss. und Erf., p. 81 s.

1) cf. F. E. Kübel, Die sociale und volkswirthschaftl. Gesezgeb. des A. T., (Wiesb. 1870), p. 27 ss.

attinet agrum, haud scio an subsit etiam ratio quaedam humanitatis, scilicet ne homo exigat ab uno agro plus quam unius generis fructus, ne nimis sibi abutatur vigore agri.

Ceterum hae leges magis sunt delicatae cuiusdam verecundiae, quam ut certum finem ad mores pertinentem appetant.

Item interdicitur, ne crudeliter et aspere tractentur pecora, velut ne pullus et mater eius uno die simul mactentur, ne pullus nondum octo dies natus mactandus matri auferatur, Lev. 22, 27 s.; ne vituli castrentur, Lev. 22, 24 s.

Lex abhorret a quavis crudelitate. Nullo loco mentio fit poenarum torquentium et turpium nec tormentorum, cf. Köhl. I, 358. Poenae[1]), quamvis sint strenuae, non sunt crudeles. De comburendis hominibus Lev. 20, 14; 21, 9, cf. Jos. 7, 15. 25; Köhl. I, p. 358, Anm. 5; [c. Schnell, das israel. Recht, p. 44 Anm. 1]; Benz., Arch., p. 333; Now., Arch. I, p. 328 ss.

IV. Restat, ut disputemus de legibus aliis, quibus interdicitur, ne corpus hominis mutiletur. Lev. 19, 27 vetatur capillos detondendo in orbis formam redigi et marginem barbae (detondendo) corrumpi, (cf. Lev. 21, 5, quo loco idem praecipitur sacerdotibus). Lev. 19, 28 vetatur corpora incidi (נתן שֶׂרֶט) mortuorum causa, (idem Lev. 21, 5 sacerdotibus praescribitur), et corpora notis compungi. Additur Lev. 19, 28: ego sum Jehova. Sacerdotes praeterea vetantur calvitium sibi tondere Lev. 21, 5[2]) (LXX addunt et hoc loco ἐπί νεκρῷ sicut Lev. 19, 28; cf. Dillm., Ex. u. Lev., p. 566). Pontifex maximus denique vetatur solvere capillos et vestes discindere, (de notione vocis פרע cf. Dillm., l. c. p. 567), Lev. 21, 11.

Hae consuetudines inter se vario modo differunt. Omnes ad luctus mortuorum pertinuisse verisimile est, sed non potest firmis argumentis probari, cum soli legi de non compungendo neque incidendo corpore adiungatur, (in textu hebraico quidem) על־מת, ceterae autem consuetudines supra dictae antecedant legibus, quibus interdicitur, ne quis se

1) De necessitate, ratione, fine puniendi in lege (H et P) non disputatur, dummodo poena sit iusta, (cf. Köhl. I, p. 358 s.). Consentaneum est, poenis, quae singulis peccatis constituuntur, homines a peccando deterreri et nonnisi iusta poena, cf. Num. 35, 33, facinus revera e medio tolli, (expiari sive obtegi); cf. p. 18. 56; Now., Arch. I, p. 335.

2) Deut. 14, 1 idem praeceptum datur toti populo.

mortuis immaculetur. Quae nisi subsequerentur, dubito, an quisquam his locis de mortuorum luctu agi probaret. Sed ex aliis locis et aliarum gentium consuetudinibus apparet, hoc modo luctus factos esse.

Distinguendum autem est, quibus de causis eiusmodi luctus prioribus temporibus celebrati sint, et curnam his ipsis locis, de quibus agimus, istas res fieri vetetur. De priore quaestione hic disputandum non est: de posteriore haec fere valere videntur.

Causae his legibus non adduntur, nisi semel: על־מת et semel: „ego sum Jehova“, Lev. 19, 28; sacerdotibus dicitur, ne se contaminent, Lev. 21, 4; et sint deo sancti, Lev. 21, 6. Nullo modo autem clarius significatur, mortuos hoc modo ut divina numina cultos esse. Neque ex sola formula illa apposita concludendum est, istas consuetudines fieri vetari solum, quia hoc modo communio populi Israel cum deo suo turbetur; cf. Stade, ZATW., XIV, 1894, p. 302; Gesch. Isr. I, p. 388s.

Neque vero agitur solis de nimiis luctibus, cf. H. Oort, de doodenvereering bij de Israeliten, in Theol. Tijdschr. XV, 1881, p. 356), quae ratio non plus significatur. Et quomodo quisquam solo dolore mortui potuit moveri, ut capillos in orbis formam tondendo redigeret? Corpora incidere, capillos solvere, vestes discindere sunt mores, de quibus hoc modo iudicari potest, quin etiam licet dicere, consuetudinem capillos solvendi et vestes discindendi aliter non facile posse explicari et intelligi.

Sed ceterae consuetudines, veterrimae quidem, sine dubio superstitiosi sunt ritus, qui posteris aetatibus traduntur, et, etiamsi non intelliguntur, tamen servantur. Quibus omnibus corpus hominis deformatur et in pravius corrumpitur. Sententia legis autem (et totius V. T.) est, corpus hominis tale deo acceptum esse, quale deus id esse voluit. Ob id ipsum, quia natura a deo creata est, deo abominabilia sunt, quibuscunque natura deformatur. Ratio igitur horum praeceptorum imprimis ad religionem pertinet. Religionis interest, ut vetetur corpus hominis superstitiosis (priorum temporum) moribus deformari. Cernimus, quod iam supra disputavimus, in lege populi Israel ex religione deduci, quae naturae conveniunt et cum natura congruunt, cum apud alias gentes ex religione et superstitione oriantur, quae contra naturam sunt; cf. p. 78.

Hoc modo praeceptum religionis fit aesthetices, atque ob id ipsum et ad mores pertinet; cf. Dillm., Altt. Teol., p. 443; Schultz, Altt. Theol. [5], p, 365.

Cap. XVII.

Recapitulatio.

I. Vidimus iam permulta a populo Israel praestanda esse, ut ad proprium sibi propositum, quod ipso foedere continetur, perveniat. Restat, ut rationes gravissimas breviter repetamus [1]).

Populus, quem deus foedere constituto suum fecit, primum externam corporis munditiem, qualem deus praescripsit, prae se ferre debet, quam qui non observaverit, cum deo coniunctus esse non potest.

Deinde haec communio dei cum populo externo more constituitur et depingitur dedicante populo, ut qui sit populus deo sanctus, se suaque omnia deo; necnon sacrificiis communio de novo semper fit et restituitur.

Sequitur, ut populus diligentissime cavere debeat, ne deo sive honori eius, quodcunque sibi vindicaverit, detrahat.

Eiusmodi sunt praecepta longe plurima, quorum omnium rationem unam eandemque esse apparet. Haec omnia enim deo praestanda sunt, quibus populus se sanctum deo, sive intima communione cum deo coniunctum praebeat.

Sed etiam pietas interna praestanda videtur, nec desunt variae honestatis et probitatis leges, quibus implendis populus in societatibus familiae, popularium, rei publicae, necnon gentium ac totius generis humani, denique in ipsa natura sanctum se praestet, ut deus sanctus est.

II. Omnia autem praecepta, utpote quae dei praecepta sint, pari auctoritate dantur, et ea, quibus gravissima pietatis atque honestatis officia commendantur, et ea, quae ut serventur, nonnisi externa obtemperantia opus esse videtur. Numero vel praevalent praecepta ad externum sive habitum corporis sive cultum dei pertinentia. Si solum librum Elohisticum respexerimus, non potest firmis argumentis probari, quod dicit Dillmann, (Altt. Theol., p. 425):

1) cf. Kuenen, Godsdienst II, p. 196 s.; Volksreligion und Weltreligion, p. 159 ss.

„Die . . . . Behauptung, dass das Gesetz keinen Unterschied mache zwischen sittlich-religiösen und bloss zeremonialen Geboten, ist . . . falsch". Sane discrimen est inter leges ad pietatem honestatemque pertinentes et praecepta de cultu celebrando munditieque servanda, sed non discrimen gravitatis et auctoritatis.

Nullo modo enim significatur in libro Elohistico praeceptum praecepto praestantius vel inferius esse. Neque hoc fieri potuit, cum, quae deus praeceperit, utique a homine praestanda sint, qualemcunque ad rem pertinent. Alioquin non potuerunt iisdem poenis affici, qui contra legem quandam caeremoniarum peccaverant, ac ii, qui praecepta de moribus violaverant. Hoc argumentum valere, Dillmann ipse l. c. concedit, neque refutare potest eo, quod negat, quidquam probari hoc modo, nisi, „dass ohne solche, (sc. Gleichheit der Strafen), bei diesem Volk nichts entschieden durchführbar war." Nam etsi legem sine poenis esse non posse apparet, tamen quem ad finem eandem omnium transgressionum poenam constitui necesse sit, non intelligitur. Apud prophetas autem et in psalmis aliter de gravitate singulorum praeceptorum maiore vel minore iudicari, nemo prudens negabit; cf. Luthardt, Gesch. d. chr. Eth. I, p. 44 s.

Sed persaepe vidimus ipsam omnium praeceptorum vim, (et maxime eorum, quae ad cultum munditiemque externam pertinent), in obtemperantia praestanda positam esse. Dei interest oboediri a populo, cf. quae disputavimus Cap. IV, VI; Cap. V, III; Cap. X, VI. Idem igitur lege commendatur, quod ut praestetur et a prophetis admonetur. Eiusdem autem oboedientiae alia est forma in lege, alia apud prophetas, vel quo accuratius definiamus, oboedientia apud P non solum pietate et honestate, sed etiam externo opere cultus et caerimoniarum cognoscatur. Cuius secundi generis praecepta magna ex parte vario modo ad mores referri potuisse, supra demonstravimus.

III. Motus affectionesque animorum, ex quibus singula opera proficiscantur, raro respici, per se non mirum est, cum legis finis sit, ut externae res constituantur et disponantur. Sed non sequitur, ut lex nihil voluerit nisi externam operis operati oboedientiam. Impleri potuisse legem solo poenae timore, consentaneum est, cum ipsa cuiusvis legis vi et ratione contineatur, poenas proponi eis, qui legem

transgressi fuerint. Merces autem legis impletae proponitur ea, quae artissime cohaeret cum fine legis implendae ipso; (cf. p. 18s.).

Praevalent leges singulae in certos casus datae, rationes universae, etsi occurrunt, tamen non urguentur ita, ut demonstretur singula ex uno principio necessario quodam modo proficisci. Praecepta, praesertim quae ad mores pertinent, maiore ex parte vetant, quam iubent; (cf. p. 75 ss.). Utrumque fit, quia lege populus educandus erat. Sed non desunt rationes summae et perfectissimae, quarum vera vi et gravitate patefacta latens patebat perfectio. Educantis autem est, rationes universas in singula praecepta disponere et retinentem a male agendo assuefacere eâ oboedientiâ, qua ad bene agendum opus est.

Naturae rei convenit, ad finem populo propositum et singulos et populum ipsum pariter contribuere debere. Omnia fere, quae singulis praecipiuntur, aliquo modo ad societatem totius populi spectant, et maxime idcirco, quod finis populo vropositus nonnisi per singulos assequendus est, praestanda videntur. Ob id ipsum singulorum officia gravissima videntur et maxime respiciuntur, et plurimum interest, sua quemque parte ad communem finem assequendum contrieuere, quae ab ipso postulantur [1]). Accedit, quod singulis bxempla imitanda proponuntur. Ipsa igitur lege, qua singuli nonnisi tanquam in societate populi constituti respiciuntur, demonstratur, omnia, quae ad mores pertinent, officia maxime singulis imposita esse.

Quodsi vidimus, maximam rationem haberi eorum, quae intra populum Israeliticum deo vel popularibus praestanda sint, apparet hac in re sententiam libri Elohistici eandem esse ac totius V. T., atque occurrere etiam varia praecepta, quibus propriae gentis studium coerceatur, et, quae ad mores pertinent, in omnes homines extendantur, cf. Cap. XV, II.

Quae omnia respicienda videntur, ut recte et aeque de legis Elohisticae ethica iudicetur. Quod qui fecerit, non iudicabit sicut Duhm, Theol. d. Proph., p. 269 ss.; Rénan, Histoire du peuple d'Israel, Paris 1893, IV, p. 50 ss.; Seinecke, Gesch. d. Volkes Israel I, Gött. 1876, p. 146 ss.;

---

1) cf. Schultz, St. u. Kr. 1890, p. 58 „Das völlige Aufgehen der Selbstsucht des Einzelnen in dem Interesse für die hl. Gemeinschaft hat etwas den höchsten sittlichen Ideen nahe kommendes".

Reuss, Geschichte d. h. Schr. A. T., §§ 379, 380, [cf. Stade, Gesch. Isr. II, p. 144, Anm. 2; 146, Anm. 2; Kuenen, Volksreligion und Weltreligion, p. 159 s.], quorum iudicium iniquissimum a novioribus plurimis improbatum non opus est longius refutari; cf. instar omnium Dillm., Altt. Theol., p. 423 ss.; Schultz, Altt. Theol. ⁵, p. 337 ss.

Denique etsi prophetae motus animorum magis respiciunt quam opera externa et iustitiam publicam civilemque et probitatem honestatemque vitae magis urguent quam opera cultus, integritatem cordis praeferunt munditiei corporis, tamen animadvertendum est, praeterquam quod hae virtutes lege non excluduntur, fundamenta eadem esse ethices prophetarum et legis. Primum fundamentum eadem gratia dei libera videtur, qua populum suum fecit. A homine eadem oboedientia fidei exigitur, quaeque praecipiuntur, praestanda sunt religionis causa, i. e., quia deus haec a populo suo postulat[1]).

Quas rationes primas prophetis et legi communes veterrimas esse, non licet hoc loco longius demonstrare, nec disputare, quando in unam vel vel alteram formam, qua nobis traditae sunt, digestae et redactae fuerint. Sufficit, me, quaecunque ad ethicen pertinere videbantur, quantum potui, cuncta complexum demonstrasse, [quod quidem in Deuteronomio facile intelligas], eandem ac prophetarum esse Elohistae sententiam universam de principio, fine, ratione ethices.

---

1) cf. Wuttke, o. c. I, p. 129; Luthardt, Gesch. der chr. Ethik I, p. 46 s.